

DE VICTU FEBRICITANTIUM DISSERTATIO

AUCTORE

JOSEPHO ANTONIO PUJATI SACILIENSI

IN PATAVINO GYMNASIO

PRAXEOS MEDICÆ ORDINARIÆ P. P. P.



PATAVII, Typis Seminarii MDCCLVIII.

SUPERIORUM PERMISSU.

SENATORIBUS AMPLISSIMIS
JOHANNI EMO
D. MARCI PROCURATORI,
MARCO FUSCARENO,
ET
ALOYSIO MOCENICO IV.
EQUITIBUS, ET MARCIANÆ ÆDIS
PROCURATORIBUS,
PATAVINÆ SCHOLÆ REGUNDÆ
TRIUMVIRIS

Joseph Antonius Pujati
F.



Roxime elapso Scholastico anno, SENATORES AMPLISSIMI, febres, earumque curationes agitare jussus, sub finem litterarii curriculi, hanc disputationem e loco superiore habere cœperam, sed temporis defectu præventus, totam dicere minime quivi.

Cum autem totam quidam ex meis Diligentioribus Auditoribus desiderarent, illorum cupiditati satisfacturus, eam typis edere animum induxi, ut, quam audire nequiverunt, uberiore fructu ob oculos essenr habituri. Nil vero opportunius, nihilque optatius mihi contingere poterat, quam ut, vobis Patavinam simul iterum Scholam Moderantibus, ea publici juris fieret. Quatuor prope anni sunt, SAPIENTISSIMI TRIUMVIRI, ex quo per vos in eodem AMPLISSIMO MAGISTRATU constitutos, ipse, novus homo, nihilque tale, non modo sperare, sed ne optare quidem audens, Primarius Medicinæ Practicæ Professor in Alma hac Universitate designatus sum, ac, Vobis de me benignissime referentibus, Munificentissimo AUGUSTI SENATUS VENETI decreto, e nivosis Rhęticarum Alpium latibulis, in hanc hominum, litterarumque lucem, atque in locum honoris, dignitatisque plenum deductus sum. Favor vester omnibus, qui Professorio munere decorantur, summus, mihi autem singularis, ac prope Divinus habendus, a me flagitabat, ut quantocius devictissimi, atque ad

rogum

rogum memoris animi ſignum aliquod publicitus darem. Cum igitur ob eam, quam dudum attuli, rationem, Diſſertatiunculam edere conſtituerim; mihi peropportune contigiſſe video, eo hanc tempore in lucem dari, quo Vos ſimul huic Lycęo regundo præeſtis: ita enim vobis, quaſi totidem Numinibus Servatoribus, muneris mei primitiis litari poſſe arbitratus ſum. Neque a propoſito doni exiguitas me abduxit: Magnanimi enim Homines, qui beneficiis, & benefaciendi voluntate Deos æmulantur, vel tenuiſſima clientulorum dona, ubi ea præſertim grati animi inditia præſetulerint, & æqui bonique facere, & ſereno, hilarique vultu ſuſcipere conſueverunt. Quid autem, quod eorum meritis, & Amplitudini paria offerri minime queant? Porro vos (ſinite, quæſo, me paucula, modeſtia quoque veſtra averſante, ſubjicere) ob Majores veſtros Magni: ob animi autem Magnitudinem, integritatemque: ob ſummam Prudentiam, Sapientiamque: ob quæ in bonum Reipublicæ domi, foriſque geſſiſtis: ob Dignitates, Auctoritatemque jure merito acquiſitas, Maximi; eo in loco conſtituti

eſtis, ut vobis, niſi quæ a vobis diſtent quampluri-
mum, ab nemine tribui poſſint. Eo, itaque, tantum animo Opellulam hanc Nominibus veſtris inſcribere auſus ſum, ut, non modo prȩſentibus, verum, ſi forte fortuna ad eos pervenerit; venturis quoque hominibus, & Eximii Favoris veſtri teſtimonium, & gratitudinis, obſequii, voluntatiſque in vos meȩ pignus, certiſſimumque Monimentum exiſtat. Non poſſum autem, quin ſpe lacter, qua eſtis Humanitate, & Magnanimitate, vos facile laturos, eam Patronis iiſdem, Mȩcenatibuſque gaudere, quos, bonis avibus, Parentes quodammodo, Auctoreſque ſortita eſt. Pluribus vos non diſtinebo, TRIUMVIRI SAPIENTISSIMI: addo tantum: qualiſcumque in hominum judiciis diſſertatio hȩc futura ſit, eam in commodum, utilitatemque Diſcipulorum, qui vobis cordi adeo ſunt, elaboratam, editamque fuiſſe. Valete.

Dabam Patavii. Idibus Januar. Anno Salutis MDCCLVIII.

A U-

AUCTOR
LECTORI BENEVOLO
S.

*Uidam summi ingenii, acerrimique judicii vir, B. L., optime cum rebus humanis actum iri putabat, si quædam, sine quibus hominum Societates stare non possunt, post emensa non paucorum annorum spatia ad sua primordia iterum reducerentur. De sententiæ veritate ipse nequaquam pugno, sed mihi persuasum habeo, rem in maximum commodum Medicæ Facultatis cessuram, si ad artis scriptæ principia, atque ad suam primævam simplicitatem Medicina retroduceretur. Cum enim hoc in casu, puris, atque ab ore, ut ita dicam, ipsius Naturæ susceptis observationibus, haud sane omnia, quæ a posteriorum hominum industria inventa dicuntur, sed quæ ex iis tantum pro veris habentur, adjici possent; tunc minus, quidem, supervacuis ornamentis luxuriantem, sed necessariis, solidioribusque adjumentis suffultam medicinam haberemus. Verum, ut in primo casu maxime verendum, ne morbis, quibus Societates affliguntur, pejora remedia forent: neque enim sine maxima rerum omnium perturbatione, & summa vi, sive bona, sive mala, quibus assuerunt, deserere, & moribus, legibusque obsoletis se se submittere vellent homines: neque, ut illi quidem præsentium præjudicio occupati regererent, post inventas fruges, vellent iterum ad glandes redire: sic in altero vehementer timendum esset, ne loco alicu-*

licujus medicinæ ; qualiſcumque ſit, quam habemus ; nullam haberemus. Votis itaque, & paucorum ſolummodo deſideriis prætermiſſis, non inutile ipſe puto, iis, qui medicinam ingrediuntur, medendi vias, quas priſci homines, artiſque exordiis proximiores inſtiterunt, ſaltem oſtendere ; ut videant, & aliis, quam quibus itur, progredi poſſe ; nec putent, ea tantum eundum eſſe, qua ſecuriſſimos difficultatum currere quoſdam e recentioribus vident ; & ſi velint, dum opportunitas dabitur, unam methodum alteri conferre, quæque potior, commodiorque videbitur, eligere queant.

Circa eam Praxeos partem, quæ victu, & alimoniæ adminiſtratione febres curat (quod non modo apud ſaniores Medicos, ſed etiam apud reliquos homines, qui communi ſenſu haud plane carent, pro præcipuo artis auxilio ſemper habitum fuit) id Auditoribus meis, Diſſertatione hac illis elaborata, & in eorum gratiam, commodumque edita, præſtare anniſus ſum. Quo autem ſucceſſu, id tuo, B. L., judicio relictum. Alicui tamen ſupervacuum videri poterit, me de argumento, quod tot Scriptorum calamos exercuit, atque ab ipſo annorum pondere protritum eſt, plura verba feciſſe. At qui Tironibus inſtituendis qualibet in facultate ſtudent, vetuſta, ſæpiuſque ſcripta, & agitata prætermittere minime poſſunt. Si febrium curationes abſolvendæ mihi erant, de victu quoque, quo illis ſuccurritur, agere debebam. Quod profecto præſtari non poterat, abſque eo quod recocta crambe Diſcipulis apponeretur. Ea tamen illorum guſtui recoctæ ſapore diſplicere haud poteſt, quoniam non alias illam deguſtarunt. De ſæpiſſime repetitis in hac Diſſertatione verba, utique, fiunt ; ſed iis, & quædam nova ab Clariſſ. viris inventa ; & principia quædam, ut ut maxime obvia, aut non obſervata, aut non exculta inſerun-

ſeruntur ; & ratiocinia , ab obviis licet deducta , non tamen trita inſperguntur ; & quædam accuratius perquiſita, & examinata miſcentur, quæ vetuſtioribus quoque, aliquam novitatis ſpeciem dare queant . Quod ſentio , fateor : ſic vetera, & trita me condiviſſe mihi adblandior, ut ſitum, rancoremque minime oleant . Ideo , ſi animi tantum gratia, vel in arte Provectiores, Doctioreſque, in hoc ſcriptum oculos conjecturi ſint , ſpero, eos nequaquam ex illius lectione faſtidium capturos, neque nauſeabundos, poſtquam Diſſertationem projecerint, in illud erupturos :

Occidit miſeros crambe repetita Magiſtros.

ut ne ſpe cadam, utque una bene valeamus velim, L. B.



NOI

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione del P. *F. Francesco Antonio Mantoa* Inquisitor Generale del Santo Uffizio di *Padova* nel Libro intitolato, *De Victu Febricitantium Dissertatio*, *Auctore Josepho Antonio Pujati Saciliensi MS.* non v' essere cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro li Principi, e buoni costumi, concediamo licenza a *Gio. Manfrè Stampatore di Venezia*, che possa essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite copie alle pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 17. Novembre 1757.

(*Gio: Emo Proc. Rif.*
(*Marco Foscarini Cav. Proc. Rif.*
(*Alvise Mocenigo IV. Cav. Proc. Rif.*

Registrato in lib. a cart. 20. al num. 168.

Giacomo Zuccato Segr.

Adì 29. Novembr. 1757.

Registrato nel Magistr. Eccellentissimo degli Esecutori contro la Bestemmia.

Francesco Bianchi Segr.

Debent enim, arbitror, ædificiis fundamenta jaci firmà, & scaphis poni idonea Carina, si quid ædificandorum, pangendorumque in iis futurum est firmum. Ubi enim prima ipsa basis, ab initio, natura debilis fuit, qui fieri potest, ut quod superextruxeris futurum infirmum non sit? (Galen. 11. method. c. 13.)

Stulta hæc invidia est, cui cuncta recentia sordent:
Invida stultitia est, cui nova sola placent.

(Owen. Epigram. l. 3.)



DE VICTU FEBRIENTIUM DISSERTATIO.



Ebrium curationes proſequuti ſumus, ſed nondum de præſtantiſſimo febrium omnium remedio diximus. Hoc febrientibus ſuppeditat ea victus rationis pars, quæ ad alimoniam, cibumque febricitantium pertinet. Quantum reliqua artis auxilia hoc antecellat inde colligite, quod cum per ſe plurimum poſſit, ſine eo quidquid vel efficaciſſimum in arte eſt, parum omnino valeat. Utque vobis perſuaſum ſit, nos de re Medico ſcitu apprime neceſſaria, ægrotantibuſque utiliſſima agere; ſciatis & vetuſtiſſimos, clariſſi-

riſſimoſque cujuſcumque medicæ Scholæ Magiſtros, & Doctiores ex iis, qui poſtea ſubſequuti ſunt, huic Medicæ Praxeos parti, ut præſtantiſſimæ, utiliſſimæque ſemper plurimum tribuiſſe, eique excolendæ ſedulam operam aſſidue impendiſſe. De hac igitur acturi, ſolitum morem, quo in reliqua Praxi tradenda uſi ſumus, ſervabimus. Univerſam ſcilicet de febricitantium victu doctrinam elementarem, cum primis, in modum trademus, & quid hac Diſſertatione præſtare nobis præcipue conſtituerimus proponemus: tum, quæ circa Doctrinam traditam, & quæ propoſuimus, objici poſſunt, difficultates enodabimus: ſolidiora deinde principia, quibus febricitantium diæta regi debeat, exponemus: quæ fuſiore explicatione egent, neque obſcure, neque inepte explicare conabimur; ac tandem generatim agitata ad particularia trahentes, ſingulis febrium generibus, quæ cibi victuſque ratio conveniat, deſignabimus.

Porro, niſi judicando fallor, nullam faciliorem, planioremque hujuſce Tractationis Inſtitutionem vobis tradi poſſe reor, quam ſi hiſtoriam Praxeos ab antiquis in alendis febricitantibus ſervatæ contexam, ac Fontes unde eam hauſerim, digito quaſi commonſtrem, rationeſque inſuper addam, quibus Priſci medentes eam firmabant, aut ſibi firmare videbantur. Ac quamvis Praxis hæc noſtris temporibus ſuperſtitioſior, ut ita dicam, videri poſſit, neque is ipſe ſim, qui eam ad amuſſim ſervari debere contendam; nihilominus cum & ab obſervatione exorta ſit, & obſervationibus ſuperextructa; ea ſemper erit veluti Baſis, & fundamentum eorum, quæ de alimonia febrici-

bricitantium a Medico tradi poſſint : via hac igitur ingrediamur.

I.

I. VEtuſtiſſimi Medicorum, qui artem ſcriptis ornarunt, auxeruntque, morbos, cum primis, in Acutos, & Chronicos diviſere; ſcilicet, in longiores, atque breviores: qua univerſali, & præcipua diviſione febres quoque comprenduntur, quarum aliæ Chronicæ, aliæ acutæ ſunt. Quamvis tamen nomen hoc *Acuti* nomini *Chronici* oppoſitum ſpatium ſolummodo, & brevitatem morbi, ac celeritatem, qua morbus movetur, progrediturque ſignificare videatur; nihilominus ex *Acuti* nomine ea in nobis idea exurgit, ut non ſolum concipiamus morbum celeriter ſe ſe moventem, progredientemque, ſed qui ſuo citato motu & graviora, & periculoſiora ſymptomata ſecum ducat. Hæc morbi acuti idea, præterquamquod paſſim obtinet, nobis ab Hippocrate & Celſo proponitur; quorum primus (*a*) eam ſic delineavit: *ſunt autem acutiſſimi, & maximi, & graviſſimi morbi, & maxime lethales in continua febre*: quibus verbis non modo morbi brevitas, ſed gravitas quoque, & diſcrimina enuntiantur: alter vero (*b*) morbi acuti characterem ita pinxit: *ubi ſine intermiſſionibus acceſſiones, & dolores graves urgent, acutus morbus eſt*. Illa igitur acuta febris eſt, quæ ſine intermiſſione cum gravioribus ſymptomatibus cito ad bonam, vel malam ju-

(*a*) *6*. Epid. Conſtitut. temp. 3.
(*b*) l. 3. c. 2.

dicationem, exitumve perducitur: ita tamen, ut ad acutiem febris dimetiendam potius celeritas febrilis motus, quam symptomatum sævities faciat, cujus magis est morbi vehementiam, gravitatem, & pericula significare, necnon ægritudinis mutationem, exitumve præmonstrare.

II. Sed quia febres, aliique acuti febriles morbi æque acuti omnes, scilicet, æque breves non sunt; ex Praxi ipsa, & observatione morbos acutos quadrifariam divisere. In acutissimos, quos perperacutos Barbari dixere Medici; in brevissimos scilicet: in acutiores, seu peracutos: in acutos simpliciter; atque in acutos ex decidentia, seu permutatione, vel degeneratione. Acutissimi, & perperacuti sunt, qui circa quartum diem judicantur: acutiores, seu peracuti, qui judicantur circa septimum: simpliciter acuti, qui circa decimumquartum, aut vigesimum (horum primos dixere quoque acutos exacte, postremos non exacte acutos) qui vero post vigesimum, ad quadragesimum usque cum febre continua trahunt, acutos ex decidentia vocavere. Ab hoc termino, quæ continuant febres, & morbi, Chronici audiunt.

III. Ne tamen in terminis, idque sub ipso Dissertationis limine, hæreatis, explicanda vox illa est *judicantur*, qua usus sum, quæque sæpissime a Medicis, præsertimque ab Hippocrate, & Galeno usurpatur. Putavit Hippocrates, deductique ab eo viri, dari nobis insitam facultatem quandam, quam *Naturam* appellare plerumque consuevit; morbos autem nihil aliud esse, nisi hujusce Naturæ laborem & pugnam, qua malos succos, vitæ sanitatisque infestos

hostes

hoſtes expellere tentat . Ex hac pugna vel Natura omnino victrix de morbo triumphat, vel contra eum ſuperior ſolummodo evadit , vel morbus Naturam vincit proſternitque, vel eam modo debilitat, atque frangit, vel in alium morbum mutatur. Dum pugna ea pugnatur, dictique incidunt caſus, neceſſario mutationes quædam in morbis apparent, quæ *judicia* vocari conſuevere, ac Græco nomine, longo tamen uſu Latio donato, *Criſes*, quia ex iis de ſtatu Naturæ, morbique judicium Medicus pugnæ obſervator, & veluti judex fert. Ita ipſemet Hippocrates (*a*) *Porro judicari in morbis eſt*, *cum morbi augeſcunt*, *aut marceſcunt*, *aut in morbum alium mutantur*, *aut deſinunt*. Dummodo vos non fugiat, quod nequaquam fugere poteſt, morbos, ſcilicet, deſinere, & cum Natura vincit, ægerque ſanatur, & cum Natura vincitur, ægerque perit; videbitis Hippocraticam ſententiam quinque a me recenſitos judicationis , ſeu Criſeos modos complecti. Quæ tamen ſententia ut plane intelligatur , neceſſe eſt iis animum adhibere, quæ ſuper ea egregie animadvertit Martianus: (*b*) ſcilicet, nequaquam pro morbi augmento hic intelligere Hippocratem tempus illud particulare, quo morbus adoleſcit; ſed cum augetur in malitia; ut, ſi e ſalutari periculoſus, atque e benigno malignus fiat. Sic e contra, haudquaquam marceſcere cum declinat; tunc enim, ut plurimum judicatus eſt; ſed quando illius ſævitia tollitur, atque ex lethali ſalutaris, & ex vehementi lenis efficitur. Quoniam vero mutationes iſtæ aliqua cum evacua-

(*a*) text. 8. de affectionib.
(*b*) ad eum locum

cuatione plerumque fiunt , ideo evacuationibus iſtis judicationis , & Criſeos nomen inditum eſt . Quin Galenus (*a*) illas quoque perturbationes, quæ evacuationes haſce præcedere ſolent, judicationis, & Criſeos nomine comprehendendas docet.

IV. Hiſce proviſis , ita victus rationem ad febres priſci Hippocratis Sectatores coordinavere , ut & illam, quemadmodum de morbis acutis eos feciſſe diximus, quadrifariam diduxerint. Scilicet in extreme tenuiſſimam : in tenuiſſimam non extreme : in ſimpliciter tenuem ; ac tandem in plenam . Victum extreme tenuiſſimum omnimoda abſtinentia conſtituebat. Tenuiſſimum, ſed non extreme, uſus melicrati (miſturæ, nempe, aquæ & mellis , quam hydromel quoque dicimus) Oxicratum (miſtura ſcilicet aquæ & aceti) & ſuccus Ptiſanæ , ſeu Ptiſana colata , ſeu Ptiſanæ Cremor (omnibus hiſce nominibus ſignificatur illud edulii genus, quod *ſugolo d' orzo* dicimus) circumſcribebant. Victus tenuis in Ptiſana integra, & non colata, in hordeo nempe, ſtabat; ita tamen, ut Ptiſana hæc ad Victum quoque plenum pertineret , ſub quo ova, alica (de hac alio loco) & piſces ſaxatiles ægro concedebantur. Videte, ſi vultis, hac ſuper re cum primis Galenum (*b*) Heurnium (*c*) Rodericum a Fonſeca (*d*) unum ex meis deceſſoribus, Sanctorium (*e*) atque alios.

V. Diverſæ iſtæ Victus rationes aliis quoque nomini-

(*a*) 1. de Criſib. 1.

(*b*) Com. 1. aphor. 4. & Com. 1. de victu acut.

(*c*) ad aphor. 4. 1.

(*d*) De febr. acut. & peſtil. remed. ubi *de cibi quant.* & Com. ad 4. aphor. 1. (*e*) Ibid.

minibus enunciari apud antiquos ſolebant. Eas dixere *potus*, *ſorbitiones*, *cibos*. Potus ſpectant ad victum tenuiſſimum non extreme, quia Melicratum, Oxicratumque victus hujuſce materia, potantur. Sorbitio quoque huc referenda eſt, quia Ptiſana colata, ſeu Cremor hordei, neque manditur, neque potatur, ſed abſorbetur. Cibus vero, quia neque potatur, neque ſorbetur, ſed manditur, de victu pleno dicitur, & aliquo modo etiam de ſimpliciter tenui. In hoc enim Ptiſana integra, ſeu hordei grana dabantur, quæ aliquouſque mandenda ſunt; atque in pleno, & Ptiſana, & alica, & piſces ſaxatiles, qui dentium molæ, & attritui ſunt ſubjiciendi. Ne putetis tamen hoc in rigido ſenſu cibi nomen ſemper aſſumptum fuiſſe. Cum alia nomina *potus*, *&* *ſorbitionis* iis quæ manduntur tribui recte non poſſint; cibi nomen utpote genericum, & potui, & ſorbitioni antiquiores aliquando dedere. Sed unum, antequam ulterius procedamus, animadvertite: non ratione quantitatis, ſed qualitatis tantum, ab iis cibum dictum tenuiſſimum, tenuem, vel plenum. Cibus poteſt eſſe tenuis, & copioſus: plenus, & paucus. Qualitas cibi, a natura morbi; quantitas autem a viribus cum primis, tum ab ætate, a regione, ab anni tempore, & a conſuetudine ipſa determinabatur. De cibi quantitate, ita Hippocrates (*a*) *Et quibus ſemel, aut bis, & quibus plura, an pauciora, & per partes oporteat afferre conſiderandum. Condonandum autem aliquid tempori, & regioni, & ætati, & conſuetudini.*

VI. Ptiſana ἀπὸ τοῦ πτίσσειν, a pinſendo nempe dici-

(*a*) 17. aphor. 1.

dicitur. Quod nomen omnibus granis e frugibus ſiccis, commune, quia pinſuntur; cum ſine ullo addito dicitur, antonomaſtice hordei grana ſignificat. Quanti fieret hordeacea Ptiſana apud antiquos medentes, inde noſcere quiſque poteſt, quod non modo ea paſſim uterentur, ſed etiam Galenus de ea libellum compoſuerit, illiuſque conficiendæ univerſum artificium diligentiſſime proſequutus fuerit. Noſtris temporibus hoc nomine abutimur, ac quaſdam decoctiones, Ptiſanas vocare ſolemus.

VII. Ne putetis tamen utiliſſimum hoc acutis morbis edulium, neque illius cremorem, neque cremorem alicæ, alicamve ipſam, neque panem lotum (hoc etenim quoque aliquando utebantur) juri alicui e carnibus veteres incoxiſſe: omnia hæc cibaria ex aqua tantum parabant. Condiebant autem (Ptiſanam ſaltem, de reliquis enim non habeo quid affirmem) condiebant, inquam, Ptiſanam, ut gratior ægrotantibus evaderet, oleo, aceto, ſale, anetoque. Dum coqui incipiebat, acetum & anethi modicum illi addebant: poſtea, parum ſalis, & olei. Videtis ex hiſce, quæ fuerit antiquis ex Hippocratis ſchola materia victus in acutis febribus; utque ab eà quidquid ab animalibus ſumitur, acutis ex decidentia exceptis, excluderent.

VIII. Diverſis autem hiſce victus rationibus ita utebantur. Morbis perperacutis, iis nempe, qui ſtatim in vigore ſunt, quique circa quartum diem judicantur, victum extreme tenuiſſimum, omnimodam, ſcilicet, abſtinentiam præſcribebant. Quod ſi eam æger aliqua de cauſſa ferre non poſſet, potus, aut ſorbi-

ſorbitionem ei concedebant, Melicratum nempe, aut Oxicratum, aut Ptiſanæ Cremorem. In peracuto morbo, qui ad ſeptimum trahere ſolet, victus erat Melicratum, Oxicratum, Ptiſanæ Cremor. Si hæc parum ægrotanti forent, aut copioſiorem Cremoris quantitatem, aut Ptiſanam integram in pauca quantitate dabant. In acutis autem ſimpliciter, qui ad decimum quartum, vel ad vigeſimum uſque perdurarent, tota integraque Ptiſana utebantur. In iis tandem, quos acutos ex decidentia vocabant, ægros alebant, non modo Ptiſana eadem, ſed alica quoque, ovis, & ſaxatilibus piſcibus. Atque hæc quoad rationem victus acuti morbi generi convenientis.

IX. Non ſolum tamen acuti morbi genus quam diligentiſſime diſtinguere ſatagebant, ut aptam victus rationem inſtituerent; ſed attentiſſime quoque morbi tempora conſiderabant, tum univerſalia, tum particularia. Ad univerſalia morbi tempora quod attinet, nil magis Cordi illis erat, quam exordiente morbo prænoſcere, quando morbi ſtatus, ſeu ſummus morbi vigor futurus eſſet; tuncque ſi ægritudo ex iis foret, quam trahere longius poſſe conjicerent; ſub initiis copioſius, pleniuſque ægrum alebant, circa vigorem deinde, & in vigore ipſo cibum ei detracturi. Ad tempora vero morbi particularia quod ſpectat, & in Periodicis acceſſionibus, & in aliis exacerbationibus non Periodicis, ab alendis ægris abſtinebant. Haud ita tamen ratos, firmoſque Canones hoſce eſſe volebant, ut cum opus eſſet, iis aliquando non derogarent. Occaſio autem iis derogandi erat ætas, anni tempus, regio, conſuetudo, atque ægri

peculiaris temperies, quam idiosyncrasiæ nomine significabant. Ideo hieme copiosius, quam æstate; juvenes plenius præ senibus alebant; in regionibus frigidis minus parci erant, quam in calentibus; atque erga edaciores liberalius se se gerebant, quam erga minus edaces. Ne putetis tamen, ut ut a sancitis regulis aliquando recederent, plurimum eos recedere suevisse. Tota illorum indulgentia in eo sita erat, ut, vel quantitatem cibi augerent, vel perfectæ abstinentiæ loco victum non extreme tenuissimum; hujus loco, tenuem; aut vice tenuis plenum ægris exhiberent: nunquam tamen ad carnes terrestrium animalium ascenderent. Quod si ii censendi sint id aliquando præstare potuisse (neque enim mihi ex illorum lectione adhucdum constitit eos præstitisse) tunc solummodo præstitere, cum cibaria illa ægrotantes vehementer concupiscerent; cumque ex iis assumptis exiguum damnum, aut facile reparabile eventurum foret.

X. Nullus dubito, quin vobis traditæ historiæ, postremam præcipue partem, audientibus, quæ de victus ad acutos morbos sanciti administratione pertractat, animo non subierint loca, ac quasi fontes, unde illam hauserim. Credere etenim juvat vos meminisse Hippocraticorum aphorismorum, quos a clarissimis Theoricæ Medicinæ Professoribus nostris hoc anno explicatos audiistis. Igitur, ut victu extreme tenuissimo premi, atque in perfecta abstinentia contineri debeant, qui perperacutis febribus, morbisque laborant: ut victu tenuissimo, sed non extreme, alendi sint, qui peracute solummodo affliguntur: ut non tenuissime, sed

tenui-

tenuiter tantum victitare iis conveniat, qui febre simpliciter acuta ægrotant; sextus, & septimus aphorismus primæ sectionis nos docent. Sextus habet: *extremis morbis extrema exquisite remedia optima sunt.* Extrema autem inter auxilia, victum quoque extreme tenuissimum, perfectam scilicet abstinentiam procul dubio comprehendi, & Galeni, & aliorum expositorum sententia est. Septimus autem sic: *ubi igitur morbus peracutus est, & statim extremos habet labores, extreme tenuissimo victu utendum est. Ubi vero non, sed pleniorem victum contingit adhibere, tantum cibi indulgendum est, quantum morbus extremis est mollior.* In morbo, qui trahit, & morbi statum præcognoscendum esse, & ita victus rationem administrandam, ut sub initiis plenius, sub vigore autem tenuissime æger alendus sit; præter octavum, & nonum, decimus monet id aphorismus. *Quibus igitur statim morbus in vigore consistit, iis etiam statim tenuis victus adhibendus est: quibus vero posterius debet consistere; iis & in ipso consistendi tempore, & parum ante illud cibus est subtrahendus; prius vero plenior victus adhibendus est, ut æger sufficiat.* Quod de temporibus morbi peculiaribus diximus, depromptum est ex undecimo: *in accessionibus abstinere oportet .... & quibus per circuitum fiunt accessiones, abstinere oportet*: scilicet, non minus in accessionibus periodicis, quam in non periodicis exacerbationibus, a cibo abstinendum est. De respectu ad ætates, ad anni tempora, ad regiones, ad consuetudinem pertractant 13. 14. 15. 17. Ad quem postremum adnotandum est, haud ibi *simpliciter* asseri: *dandum ætati, consuetudini &c.* sed dandum *aliquid*: cujusce limitativæ

 parti-

particulæ nolim obliviſcamini . Quamvis vobis haud generatim dixerim veteres Hippocraticos humido ſolum victu febrientes aluiſſe ; ex recenſita tamen victus materia ſatis noſcere potuiſtis, eos humidum cibum commodiorem acute febrientibus cenſuiſſe , de quo aphoriſmus 16. Vos tamen clam forte erit, unde conjecturam poſtremo loco propoſitam ſumpſerim ; veteres ſcilicet, a debito alimoniæ genere diſcedere potuiſſe , ſi id ægrotantes plurimum concupierint. Eam deprompſi ex libro *de affectionibus* (*a*) & ex ſexto Epidem. (*b*) Primo loco ait Hippocrates : *quoſcumque cibos aut obſonia*, *aut potus ægri concupiſcant exhibeto*, *ſi non corpori damnum inde acceſſurum eſt*. Altero autem loco ait ægris eſſe gratificandum, quouſque ab eo quod illis conceditur lædendi non ſint ; aut ſi forte ab eo lædantur, damnum facile reparabile ſit.

XI. Quamvis obſervata & facta ipſa victus rationem, quam deſcripſimus , & præcepta ad eam ſpectantia Hippocraticis Medicis ſubjecerint ; ne reamini tamen ſoli obſervationi confiſos eam adminiſtraſſe : ratione quoque obſervationes & facta illuſtrabant ; vel, ſi mavultis, methodum factis innixam, rationibus confirmabant , aut ſibi confirmare videbantur. Cenſuiſſe Hippocratem a morbo cibum non indicari, ſed a vita & viribus, ei patere poteſt, qui adductis aphoriſmis animum paulo attentius adverterit. Id vero explanatius a Galeno (*c*) habetur , qui aperte ſcripſit , morbum ſuæ affectionis auxilia indicare, alimoniam autem a virtutis cuſtodia deſiderari. Cum

igitur

(*a*) tex. 4.   (*b*) ſect. 4.
(c) Comm. 1. de vic. acut. 44.

igitur alimonia a virtutis cuſtodia deſideretur; tanta deſiderabitur, quanta eſſe debet virtus, quæ in eo morbo neceſſaria eſt. In acuto autem morbo tanta, non amplior, vis eſt neceſſaria, quanta egemus, ut vivamus: Ita Galenus (*a*) *Nam neque ut valeamus, nec ut a morbo liberemur ab ea* (a vitali nempe indicatione, de qua ibi loquitur) *quicquam primum deſumimus, ſed ut vivamus*. Si igitur æger ea inſtructus virtute ſit, qua per quatuor circiter dies vivere, morbumque eo ſpatio finiturum, ferre valeat, nulla indiget alimonia, quia nullam virtutis cuſtodiendæ neceſſitas indicat. Talis æger eſt, qui morbo acutiſſimo, ſeu perperacuto laborat; nullo ergo ille indiget alimento, eoque in abſtinentia continendus eſt. Ægrum autem, de quo loquimur, ea inſtructum eſſe virtute, qua per quatuor dies vivere valeat ſine cibo; inde deduci cum primis poteſt, quod homo eam virium quantitatem in ſe habet, qua ſine cibo plus, quam quatuor dies vivere poſſit; quodque nequaquam homines a productis jejuniis ſæpius acutis morbis corripi ſoleant; ſed cum eorum ventriculis, & duodeno præcipue, non parum alimentitiæ ſubſtantiæ adhuc ineſt.

XII. Quod ſi morbus, non circa quartum, ſed circa ſeptimum judicandus ſit, virtutis cuſtodia exigit, ut æger alatur. Licet enim falſum ſit quod traditum eſt ab Hippocrate, vel ab alio, quiſquis ille fuerit, qui librum de principiis, ſive de carnibus (*b*) ſcripſit: hominem, ſcilicet, qui ſeptem dies ſine cibo tranſegiſſet, ſi etiam die octavo viveret, mortem tamen

(*a*) 9. method. c. 13. (*b*) tex. 12.

men effugere haud posse; nihilominus, aliis considerationibus relictis, difficile admodum est, ut morbo, & vehementi quidem detentus, tot dies, & jejunus trahere, & morbum ferre, & deinceps vivere possit. Ad vitam autem eo usque trahendam satis esse veteres observaverunt, si Melicrato, Oxicrato, aut solo Ptisanæ Cremore æger vesceretur. Hæc igitur victus ratio huic morbo conducibilis putata est. Namque cum huc perventum foret, ajebant Naturam, quæ in priore morbo, scilicet in acutissimo, circa quartum diem suam vim, ut illum domaret exeruerat; in hoc circa septimum insurgere, atque e pugna, vel victricem, prostrato hoste evadere; vel morbo imparem, & frustra laborantem, ab eo viribus præpotente superari.

XIII. Ut autem bellatrix ista facultas totis suis viribus uti posset, alio e pugna revocanda nequaquam erat, idque eo præsertim tempore, quo majore nisu morbum tundere conabatur: conatur autem prope vigorem, & in vigore ipso morbi. Hac de caussa cibus tunc temporis detrahendus erat, ne huic subigendo accurrens a pugna recederet, victoriamque hosti relinqueret. Ut igitur summo huic infortunio obviam iretur, & vires, quasi arma, naturæ paratæ forent, quibus in tempore uti posset, neque eas tunc sibi quæsitum, arreptumque digrederetur; plenius aliquanto æger sub initiis morbi trahentis alendus erat. Præterquam enim quod si in statu periclitanti naturæ cibo subveniretur, ea, quemadmodum dicebamus, ab incæpta pugna retrahenda erat; observatum quoque fuerat, quod habemus ex Hippo-

crate

crate (*a*) cibum, ſicuti ſano robur auget, ita febricitanti morbum addere. Cum autem a ſanitatis ſtatu ille minus recedat, qui a morbo inchoante occupatur, quam qui a morbo vigente, atque in ſtatu conſtituto affligitur; neceſſario ſequi debet ſub morbi trahentis exordio minus cibum morbo additamentum fieri, magis autem in virium materiam converti, quæ tempore majoris diſcriminis pugnanti naturæ præſto eſſe poſſint.

XIV. Nolim putetis, me, imagine hac bellantis naturæ quicquam veteribus Hippocraticis appinxiſſe, vel eos de natura, deque illius potentia allegorice tantum locutos fuiſſe. Revera hanc facultatem Præſidem nobis ineſſe putabant, quam aliquando innatum quoque calorem appellavere. Vires mechanicæ animatæ, quibus, & præſens ſanitas conſervatur, & amiſſa recuperatur, & per quas a ſalubri quoque ſtatu corpus detruditur, ſi vitium cæperint, illis notæ nequaquam erant: ideo in animalis œconomiæ ignoratione, qua veluti caligine quadam circumfundebantur, Hypotheſim de natura Præſide ſibi extruxerunt, cujus ope naturalium effectuum, plurimorumque Phænomenorum & in ſano, & in ægrotante homine apparentium, rationem reddebant. Idem a poſteris præſtitum eſt, neque noſtris temporibus adhucdum amor Hypotheſium deferbuit. Eas repudiare nequaquam volumus, aut valemus; cumque eas in aliis reprehendamus; opinionum commenta, & ingenioſa figmenta, quorum ope philoſophemur, nobis cudere non deſiſtimus. Sed e diverticulo in viam.

XV.

(*a*) *66.* aphor. 7.

XV. Non eamdem ob caufam, ob quam circa morbi vigorem, atque in vigore ipfo cibum minuendum præcipiebant, in acceffionibus tam Periodicis, & ordinatis, quam in exacerbationibus, quæ ordinem, periodumque nequaquam fervant cibum prohibebant. Id fanciebatur, ne natura tunc a morbo oppreffa a cibi onere magis aggravaretur. Ita, ut alios prætercam, Vallefius (*a*) *Fit acceffio facultate expultrice* (facultas hæc veteribus erat unum, ut ita dicam, e naturæ bracchiis, quibus illa operabatur) *infurgente in caufam morbi, & tentante expulfionem. Ergo eo tempore impeditiffima eft facultas committens pugnam cum morbo, quare lædetur oblato cibo .... Nam prætterquamquod facultas aggreditur tunc primum morbum, eft calidum innatum compreffum, fubitque periculum fuffocationis.* Hæc ipfe non pingo, fed Vallefius, ut certa, narrat.

XVI. Cum autem putarent cum Hippocrate (*b*) hieme calidiores effe ventriculos, quod in caufa effe rebantur, ut hieme felicius, faciliufque digeftio perficiatur; ideo tunc temporis aliquanto plenius alebant. Eandem ob rationem frigidarum regionum incolas, qui plerumque ftomacho magis valent, quam quibus cælum calidius eft, copiofius nutriebant: contraria autem de caufa aliter fe fe gerebant Sirio furente, & in calidiore regione. Minus quoque victu premebant pueros, quia plurimus illis calor innatus (*c*) cibos facile confumit; contrario autem modo, ob contrariam rationem tractabant fenes. Atque ab hifce omnibus præfcindendo, fi ægrotans dum fanus effet

cibo

(*a*) ad 11. aphor. 1. (*b*) 15. aphor. 1.
(*c*) 14. aphor. 1.

cibo ſe ſe plurimum implere ſueverat, eum minus tenuiter, quam pro morbi ratione, ut conſuetudini parerent, alendum putabant; ut & quem abſtinentia peſſundabat (ſunt etenim homines difficulter jejunium ferentes, quos a putata intolerantiæ cauſa πικρόχολως τὰ ἀνῶ vocabant, ſuperne, ſcilicet bilioſos) ei, contra ac morbus, & morbi tempora flagitarent, nutrimentum præbebant, non tanti morbum, neque morbi tempora, quanti idioſyncraſiam facientes. Ita optimam Praxim, non optimis, ut plurimum, rationibus confirmabant. Sed nos nequaquam ſolliciti ut illi philoſopharentur, ut agerent conſideremus, utiliſſimo illorum exemplo profecturi.

XVII. Eo itaque univerſa victum adminiſtrandi ratio in acutis febribus apud viros Hippocraticos veteris ævi collineabat, ut æger tantum vivere, & ſe ſuſtinere poſſet, quoad morbi ſtatus, vigorque adventarent. Ideo cum illis perſuaſum foret, animales cibos, atque e Cerealibus ipſummet triticum copioſiore vi, & alimentitia ſubſtantia abundare, quam ab acutis febribus morbiſque deſideraretur; eos ut alienos, ab acute febrientium victu excluſere. In libro de ratione victus in morbis acutis, qui ad Hippocratem autorem refertur, panis acute ægrotanti dati mentio nunquam fit. Alii ſcriptores aliquando illius meminerunt: ſed illum, priuſquam eo ægros nutrirent, diutius aqua lavabant, panemque lotum vocabant: qua præparatione vim panis nimium alimentitiam infringere, eumque ſic morbo opportuniorem reddere opinabantur. Hordeum itaque victus acutorum materiam præcipue fecerunt, eoque, prout morbus acutior,

aut minus acutus foret ; vel integro, ut alias diximus, tota ſcilicet Ptiſana utebantur ; vel illius ſolo cremore, & ſucco. De hujus alimoniæ commodis atque præſtantia, non modo Græci Galeno juniores, ſed Galenus ipſe, ipſemetque Hippocrates effuſe ſcripſerunt. Cibo eodem acute ægrotantes, & æquales Hippocratis, & illius etiam ſuperiores medicos ſuſtinere ſueviſſe, ex laudato Hippocratis libro de victus ratione in morbis acutis, conſtat.

XVIII. Sed ſcire plurimum præſtat, victus hanc tenuitatem ad acute febrientes, nequaquam ſolius Hippocraticæ Scholæ Dogma, Praximque fuiſſe. Methodicos (fuit hæc Medicorum Secta ab Hippocratica diverſa, quæ ſub Autore Themiſone, vel potius ab ipſo Aſclepiade deducta floruit, ac Romæ, Galeni tempore in æſtimatione erat) Methodicos, inquam, non aliis ad acutos morbos, quam e frugibus cibis, rejecto tamen & ab iis Tritico, uſos fuiſſe, ex Aureliano, vel ſi mavultis, ex Sorano, quorum uterque methodicorum dogmata ſectabantur, conſtat. Ejuſdem rei pro idoneo teſte Celſum quoque habere poſſumus, qui quamvis in plurimis Hippocrati adhærere ſueverit, in curationibus tamen ad Aſclepiadem aliquando deflectit. Cum Hippocraticis hordeum in uſu præcipue eſſet, alicam iſti maxime adhibebant, quæ aliquanto valentioris præ hordeo ſubſtantiæ putabatur. Quam tamen lotam exhibendam Celſus (*a*) putavit eamdem ob rationem, qua panem lavari ſueviſſe diximus. At non modo carnes, quæque ad animalem victum ſpectant, ab acute ægrotantibus arcebant; ſed

(a) l. 3. c. *6.*

ſed ſummam ad aliquot dies, exordiente morbo, abſtinentiam adhibebant; eoque, ut autor eſt Galenus (*a*) Hippocratem, qui in perperacutis ſolummodo abſtinentia utebatur, quique indulgentior erga ægros erat, ut nimium eos replentem accuſabant. Celſus, qui, ut ante poſui, Aſclepiadi in curationibus favebat, loco laudato ait: febrientibus cibum ex materia quam leviſſima convenire, & maxime ſorbitionem; eamque, ſi febres magnæ fuerint, quam tenuiſſimam eſſe debere docet. Hujuſmodi autem cibo, ut ut tenuiſſimo, nequaquam ſingulo die ægros alendos tradit (*b*) ubi de febribus, quæ quotidie urgent pertractat; ſed tertio quoque die tantum. *Igitur* (ſunt Celſi verba) *tertio quoque die cibus ægro commodiſſime datur, ut alter febrem minuat, alter viribus ſubveniat*.

XIX. Vidiſtis, Egregii Juvenes, ut antiquiores artis magiſtri, diverſæ quamvis ſcholæ, & ſententiæ forent, unum tamen æque in febribus, acutiſque morbis reſpicerent; ſcilicet ut tenuiter ac parce ægrotantes alerent. Ex dictis autem vos plane colligere potuiſtis, quam longiſſime non pauci ex hodiernis Practicis ab illorum Dogmatibus, & exemplis abeant, qui non ſolum in acutis morbis victum animalem ab ægrotantibus non arcent; ſed præter decocta e carnibus ſæpius die data; præter ova, ciboſque Triticeos; conſumatis juribus; expreſſis e carne ſuccis; carnibus contuſis, nec non reſtaurantibus ſic dictis, ægros ſaginare, ut ita dicam, non deſinunt. Quin cum morbi acutiores ſunt, cumque ægri maxime laborant:

 borant:

(*a*) Commen. 1. Acut. 24.
(*b*) l. 3. c. 5.

borant: nempe cum cibus illis esset extenuandus, & circumcidendus; tunc præcipue valentioris substantiæ alimoniam eis ingerunt. Ut methodus hæc rationi, quæ sanior videtur, repugnet, atque ut ægrotis noxia sit, vobis demonstrare mihi animus est. Sed quia magni Hippocratis autoritate illi tutari se aliquo modo credunt, quem victus plenioris amantiorem, & doctorem fuisse perhibent; priusquam solidiora principia vobis exponam, quibus acute febricitantium Diæta regenda est; consultum duco propugnaculum, quo se munire satagunt, diruere, vobisque clarissime ostendere, ut Hippocratica auctoritate, non modo male utantur, sed inepte abutantur.

II.

UNum tamen monendi estis, antequam in arenam descendo. Sæpissime Hippocrates; quamvis de rebus vulgaribus minime loquatur; vulgari, ut ita dicam, & politico loquendi modo utitur. Præceperat in libro de vetere medicina (*a*) oportere medicum omnibus nota dicere: fere præcepto a se tradito paret: ideo nequaquam rigidus sectator illius exactitudinis, quam artis sermo desiderare videretur; sæpius res profert, ut vulgares eas dicerent. Id autem maxime præstitisse videtur, ubi de victu ad acutos adhibendo pertractat, forte, quia non solum Medicos, sed alios quoque interesse putabat, rei summi momenti, aliquam cognitionem habere. Non ad unguem igitur accipienda illius verba sunt, sed sæpius

(*a*) tex. 4.

pius inquirendum quid intellexerit, quidque dicere maluerit.

II. Hoc præmisso monito, qui suæ indulgentiæ nimiæ in Hippocrate Patrocinium quærunt, nequaquam negant aliqua in illius operibus inveniri, quæ tenuitatem alimoniæ Medicos docent. Tale est illud libri acutorum (*a*) *multo autem minus ad additionem procedendum est, nam detractione omnino tollere sæpe conducit, ubi suffecturus est æger, donec morbi vigor maturescat*. Sed, ajunt, hac super re nequaquam sibi Hippocratem constantem fuisse, ac alibi docuisse (*b*) victus tenujores acute ægrotantibus difficiles, ac periculi plenos esse; quin, subdunt, eum ex professo (*c*) pleniorem victum in acute ægrotantibus commendasse. Præter ea, quæ explicite, proposita difficultate, afferuntur, alterum, sed implicite, eadem continetur. Dum ea plenioris victus amantiorem fuisse Hippocratem traditur; clam subjicitur, victum, quem reprobo illius autoritate fulciri. Sed primum nunc missum facio, ac concedere lubet; quod tamen paulo post falsissimum demonstrabo; Hippocratem in acutis febribus tenui diæta nequaquam usum. Nihilominus illius Patrocinio defendi posse medicos nequaquam ajo, qui febrientibus contusa, expressa ex animalium carnibus, jura consumpta, & sic dicta restaurantia exhibent.

III. Id porro demonstratu facillimum est, cum universa quæstio, & tota quæstionis vis in facto versetur. Conferenda solummodo est materia pleni antiquorum victus cum materia a plerisque e nostratibus adhibita. Materia victus pleni antiquorum erat Ptisana

(*a*) tex. 19. (*b*) 4. aphor. 1. (*c*) 5. aphor. 2.

ſana integra, alica, ova, piſces. Materia victus, quem improbo, jura conſumata, carnes contuſæ, expreſſa e carnibus, reſtaurantia. Vel materia hæc valentior altera eſt, vel facultatis ejuſdem. Si valentior: ergo materia victus pleni antiquorum, hanc facultate minime æquat. Ergo in acutioribus febribus ea noſtrates præſcribunt, quæ non modo in acutis ſimpliciter, ſed neque in acutis ex decidentia antiquiores præſcribebant. Sin facultatis ejuſdem: eccur eam præſcribunt? Non ne ideo præſcribunt, quia valentiorem putant? Igitur alimonia hac ægros magis nutriunt, quam victu pleno Hippocrates, & antiqui nutrirent. Ut igitur exemplo, & autoritate Hippocratis tutari ſe poſſe credent, qui quamvis pleno, ſi ut volunt, victu febrientes aleret, non alio tamen, quam recenſito alebat? Conſulant, ſi lubet, omnia ſcripta, quæ Hippocratis nomen ferunt, ſive genuina, ſive ſuppoſititia, ſive integra, ſive interpollata ea fuerint: excutiant Galenum: ſicubi invenerint continua febre laboranti cibum adeo alimentoſum præſcriptum, lubens manus do. Sin minus: fateantur, victus rationem ab iis ad acutas febres adhibitam, tantum diſtare a victu, non jam tenui, ſed pleno antiquorum; quantum victus iſtorum plenus ab omnimoda abſtinentia diſtabat. Igitur, poſito etiam, Hippocratem putaſſe, ac docuiſſe, aliquanto plenius acute ægrotantes alendos eſſe, id favere nullo modo poteſt uſui victus, quem improbo.

IV. Sed jam objectio ab Hippocratis inconſtantia petita nobis ſolvenda eſt. Objecere itaque primo quartum primæ Sectionis aphoriſmum, quo Hippocrates

crates tenuem victum in acutis damnare quibusdam videtur. Prima aphorismi particula talis est: *victus tenuis, atque exquisitus in morbis quidem longis semper, in acutis vero in quibus non convenit, periculosus*. Puto, immo pro certo teneo, in hac particula nequaquam loqui Hippocratem de victu extreme tenuissimo, quem omnimoda abstinentia constituebat. Quis enim adeo stipes esse potest, ut putet Chronico laborantem morbo integra abstinentia exerceri posse, aut debere? Fuit quidem Heraclides Tarentinus Empiricorum Clariss., qui quartana laborantes septidui abstinentia premebat; at hunc binis sæculis post Hippocratem florentem, Hippocrates minime norat. Loquitur igitur de victu non extreme tenuissimo, qui constituebatur ab usu Ptisanæ colatæ, melicrati, Oxicrati. Quid vero de hoc victu, relate ad acutos morbos Hippocrates? Eum periculosum esse, si ei acutæ ægritudini adhibeatur, cui alienus est. Quem Canonem sanxit contra Cnidios Medicos, quorum quidam, ut habetur ex ejus libro acutorum, omnes acute ægrotantes tenui; quidam pleno; alii vero extreme tenuissimo victu ex æquo exercebant. Potest autem victus tenuissimus morbo acuto nequaquam convenire, modo jure, modo tempore. Jure illi acuto morbo conducibilis non est, qui ad decimumquartum diem pertingit, atque adeo minus si pertingit ad vigesimum, quibus, non tenuissimus, sed tenuis victus debetur. Multoque adhuc minus si fuerit acutus ex decidentia, & ad quadragesimum protrahatur, cui victus plenus adhibendus est. Ecquis, quæso, non videt, hæc morbi genera illius tenuitatem victus nequaquam
desi-

desiderare ? In hisce igitur jure non convenit, quoniam *tantum cibi indulgendum est* (*a*) *quantum morbus extremis est mollior*. Quod si idem cibus sub initiis, aut simpliciter acuti, aut acutioris, & ad septimum pertingentis adhibeatur; tunc loco, seu tempore non convenire putabat Hippocrates, quia juxta eum, non poterat æger ita modice cibatus ad statum usque morbi pervenire; neque vires ob tantam alimoniæ parcitatem fractæ, & vasa exhausta, crisim promovere, eamdemque ferre poterant: *prius vero* (*b*) *uberius alendum*, *ut æger sufficiat*. Potest quoque contraria ex ratione in morbo exquisite acutissimo nequaquam convenire, in quo expedit ægrum extreme tenuissimo victu, omnimoda, scilicet, abstinentia cruciare. In hac igitur aphorismi particula victus tenuis ad acutos *absolute* non improbatur, sed damnatur tantum, ubi neque genus, neque tempus acuti morbi illum exigunt. Prosequamur aphorismi explicationem.

V. *Et rursus summe tenuis victus difficilis*. Hic loquitur de victu extreme tenuissimo. Ridenda enim res esset si de eodem, de quo primum locutus est, quemque, ubi non convenit periculosum dixit, nunc iterum verba faceret, & diversa traderet, dicens eum absolute difficilem, gravemque esse. Quin cum eum comparet extremæ repletioni, ut mox; satis patet de extrema inanitione, de totali, scilicet, abstinentia loqui. Revera Leoniceni versio, quam Clariss. Bergomas Pasta recognitam, notulisque auctam utilissime exhibuit, sic habet: *qui ad extremum devenit tenuitatis gra-*

(*a*) 7. aphor. 1. (*b*) 10. aphor. 1.

gravis est. Ait itaque, absolute victum extreme tenuissimum gravem, difficilemque esse. Scilicet omnimodam abstinentiam, graviter ab ægris ferri, ac difficile esse, ut eam a medico imperatam servent. In prima particula damnavit tenuissimam diætam in morbo acuto, cui nequaquam convenit; eamque vocat σφαλερὰν, scilicet fallacem, & deceptricem, a σφάλλω, quod est circumvenio, decipio, fallo, ut ut interpretes verterint periculosam, quod quid majoris momenti significat: in altera, non loquitur de periculo victus exacte tenuissimi; sed Medicos absolute monet, omnimodam abstinentiam, & toleratu gravem ægrotantibus esse, & eam difficile eos servaturos. Ne quispiam de hac explicatione diversum judicium ferat, priusquam sequentis aphorismi universam explicationem perlegerit. Huc usque igitur, neque tenuissimum, neque extreme tenuissimum victum absolute damnavit Hippocrates.

VI. Tertia aphorismi particula est: *nam & extremæ refectiones difficiles sunt*. Ita versio Vallesii. Heurnius habet *renutritiones*. Cæteri melius *repletiones*. Quidam putant, atque inter hosce Vallesius, hic loqui Hippocratem de sanorum summis repletionibus, de quibus superiore aphorismo egerat sub nomine athletici habitus, sensumque esse, ut in sanis summæ repletiones a cibi copia inductæ periculo minime carent, ita ab opposita ratione, & contrariorum lege, summas inanitiones, quas abstinentia fecerit in acutis morbis, periculosas esse. Sed male, me judice, si ad Hippocratis doctrinam attendatur. Etenim, ut argumentum valeret, inferendum esset, extremas inanitiones

D. sem-

ſemper eſſe malas , ut extremæ repletiones ſemper malæ ſunt. Id autem adeo ab Hippocratica Doctrina diſtat , ut cum extremas repletiones conſtantiſſime Hippocrates reprobaverit ; extremas inanitiones, omnimodamque abſtinentiam , ubi ea convenerit, & præceperit, & collaudarit , & adhibuerit . Ita ille ſeptimo aphoriſmorum primæ ſectionis : *ubi peracutus eſt morbus*, *& ſtatim extremos habet labores*, *extreme tenuiſſimo victu utendum eſt*. Itidemque : *Extremis morbis*, *extremæ curationes optimæ*. Ad quæ Valleſius : *Aſſerit Hippocrates omnem curationem ſummam* , *& exactam tentandam eſſe*, *ut de ſumme tenui victu hoc intelligatur*. Quid, quod Hippocrates non ſola victus tenuiſſimi ratione, ſed artis quoque, tum Pharmaceuticis, cum Chirurgicis auxiliis, ubi opus erat, atque id ægrotantium vires permitterent, vaſa vehementer evacuabat? *Atque* (*a*) *ubi uſque ad animi defectum expedit ducere*, *faciendum*, *ſi æger poſſit tolerare :* atque alibi : *& ſi acutus fuerit dolor* (*b*) *ducere uſque ad animi deliquium* . Summæ autem evacuationis ab eo præſtitæ nobis exemplum reliquit (*c*) ubi viro in Oeniade ſanguinem ſe eo uſque eduxiſſe profitetur, donec exanguem eum redderet. Igitur ſi Hippocrates contrariorum lege, a ſumma repletione ſanorum argumento ducto , quæ ſemper, & abſolute mala eſt, improbare voluiſſet extremam victus tenuitatem, & abſtinentiam; hanc quoque abſolute , & quolibet in caſu damnaſſet, cum tamen, ut vidimus, eam ubi convenit præcipiat, atque collaudet.

VII.

(*a*) 23. aphoriſ. 1. (*b*) tex. 52. de vic. acut.
(*c*) 5. Epid. tex. 2.

VII. Atque hæc, ni multum judicando fallor, demonſtrant, totum aphoriſmum circa ægros verſari, neque ibi de repletione ſanorum verba fieri, quæ fuit quoque Doctiſſimi Slani ſententia. Senſus itaque totius aphoriſmi eſt: victum non extreme tenuiſſimum in morbis longis ſemper periculoſum eſſe; nec minus periculoſum in iis acutis, quibus neque jure, neque tempore convenit. Victum porro extreme tenuiſſimum, omnimodam, ſcilicet, abſtinentiam, gravem ægris eſſe, & difficilem toleratu, quemadmodum & ſummæ repletiones iis graves ſunt. Quod profecto, neque tenuiſſimi, neque extreme tenuiſſimi victus uſui adverſatur; ſed commonet, iis in omnibus acutis, omnique acutorum tempore nequaquam utendum, quemadmodum quibuſdam e Cnidiis Medicis in uſu fuiſſe libro de victu acutorum tradiderat. Neque verum eſt Hippocratem ibi Prodicum, & Diatritarios (tertio iſti ſolummodo die cibum ægris dare ſueverant) accuſare voluiſſe, quemadmodum a Fonſeca (*a*) aſſeritur. Quoniam de Prodico, ſive Erodico, lego quidem, eum (*b*) exercitationibus, luctis, fomentiſque febricitantes interficere ſueviſſe; inediam autem, ut ait Fonſeca, adhibuiſſe, nequaquam lego. Ad Diatritarios autem, quod attinet, ſive iſti a Themiſone, ſive ab Aſclepiade ipſo deducantur, quemadmodum ex Celſo (*c*) non obſcure intelligi poteſt; Hippocratem contra illos ſcripſiſſe, qui plurimis poſt eum annis venturi erant, niſi eum Prophetico ſpiritu afflatum velimus, nequaquam dicendum eſt. Extitiſſe au-

(*a*) ad hunc aphoriſ. (*b*) 6. Epid. ſect. 3.
(*c*) l. 3. c. 4.

tem medicos , qui ad ſextum uſque diem ægros abſtinentia macerabant ; & ipſe Hippocrates aperte dixit ; & Celſus idoneus, locupletiſſimuſque teſtis, loco laudato aſſeruit : *plerique ex antiquis tarde dabant, ſæpe quinta die, ſæpe ſexto, & id fortaſſe, vel in Aſia, vel in Ægypto Cæli ratio patitur.*

VIII. Sed quas putatis fuiſſe ſummas iſtas repletiones, quas ægris graves, difficiles, lædentes quoque, ſi vultis (de iis enim dicit χαλεπαὶ : χαλεπὸς autem, non modo audit difficilis, graviſque, ſed etiam damnoſus) vocavit Hippocrates? Forte eæ, quæ comparantur victu, cibiſque ſanorum ? Haud ædepol. Conſtat quidem ex Galeno (*a*) fuiſſe Petronam, ſeu Petronium quemdam, qui vino, & carnibus acute ægrotantes alebat ; ſed hic Hippocrate poſterior fuit, ac propterea dici nequaquam poteſt, de hac, adeo damnanda methodo, Hippocratem loqui potuiſſe. Abs re nequaquam duco hic vos obiter unum monere. In indice Galeni ab meritiſſimo Braſavola confecto, ter Petronas iſte nominatur. Bis ex libris de compoſitione Pharmacorum per genera : ſemel ex Commentario laudato ſuper victu acutorum. In libris medicamentorum per genera, non Petronas, ſed Petronius a Galeno dicitur. Cum autem ab Eruditiſſimo Daniele Clerico (*b*) Petronius ponatur inter Aſclepiadis diſcipulos ; nimium profecto fuiſſet, ſi adeo a Præceptore deflexiſſet, ut cum iſte primos dies ægros abſtinentia premeret, ille carnibus, vinoque nutriret. Probabile itaque non eſt, Petronam unum, eumdemque cum Petronio

(*a*) ſup. l. acut. 13.
(*b*) Hiſt. med. P. 2. l. 3. c. 11.

tronio fuiſſe. Sed ut eo, unde digreſſus ſum regrediar, agit ibi Hippocrates (vos forſitan mirabimini) de plenitudine, quam tota Ptiſana ægris, quibus aliena erat, inducebat. Quod ut demonſtrem, idemmet Hippocrates cereum mihi lucebit.

IX. Textu quarto acutorum, de iis agens, quæ a Cnidiis Medicis ignorabantur, ait: *Cur nam in acutis morbis aliqui medici omne ævum terunt Ptiſanas non colatas exhibentes, & recte ſe mederi putant? Aliqui vero plurimi faciunt, ut nullum hordeum æger devoret, magnum enim afferre detrimentum arbitrantur, verum per linteum excolantes ſuccum exhibent. Quidam vero ipſorum, neque Ptiſanam craſſam dederunt, neque ſuccum, atque, partim donec ad ſeptimum diem perveniat, partim vero perpetuo, donec judicatus fuerit morbus*. Hic ſi memineritis, quod in diſſertatione Elementari vos monui, Galenum totam Ptiſanam, non minus tenui, quam pleno victui ægrotantium dicaviſſe; videbitis Hippocratem aperte loqui de quadruplici victu diverſis acutorum generibus accommodato: de pleno, ſcilicet, tenui, tenuiſſimo, & extreme tenuiſſimo. Hippocratem vero exiſtimaſſe a tota Ptiſana aliquando ægros nimium impleri, ex textu ſeptimo libri ejuſdem palam fit. Ibi poſtquam, & de confectione Ptiſanæ, & de illius virtutibus verba fecit, ſubdit: quod ſi quis ægro, cui ea tota nequaquam conveniat, totam dederit, antequam huic cibo aptum illum reddiderit (ex iis vero, quæ ſubjicit, & mox recitabo, tunc ſolum non aliena huic ægro tota Ptiſana eſt, cum morbi vehementia remiſerit) multimode eum læſerit. *Etenim, verbi cauſſa* (ſunt ipſiſſima Hippocratis verba) *quibus*

cibus

cibus intus conclusus est, si quis non facta deorsum evacuatione sorbitionem dederit (hic totam Ptisanam sorbitionem vocat) *dolorem, si adest, amplius exacerbaverit, & si non adest statim induxerit, & spiritus densior fiet*. En nimiæ repletionis effectus. Paulo autem post: *Quin etiam si lateris dolor assiduus est, & ad calcefactoria non remittit, & sputum non prodit, sed citra putrefactionem, ac concoctionem valde viscosum sit; si non solverit quis dolorem, aut ventre mollito, aut vena secta, utrum tandem horum conducet; Ptisanam autem ita habentibus dederit; cita mors talium continget*. Textu vero decimo, de tempore exhibendæ sorbitionis agens, cujus oblationem protrahendam docet, donec calor ad pedes descenderit; priusquam ad usum Ptisanæ integræ deveniatur, ait, illius Cremore ægrum alendum esse. Non ne ex hisce patet eum timuisse, quosdam ex acute ægrotantibus a tota Ptisana nimium repleri? Ab hac igitur in quibusdam ægris nimiam repletionem timebat, & de hac repletione nimia in postrema aphorismi explicati particula agit; non autem de repletione ægrotantibus inducta per cibos, qui solis bene valentibus conducibiles sunt; multoque minus de nimia sanorum repletione, quam sub titulo athletici habitus superiore aphorismo agitaverat. Vidimus igitur non reprobari hoc aphorismo victus tenuitatem in morbis universim acutis; sed in iis acutis solummodo, in quibus non convenit: quin eodem tempore, eamdem implicite commendari ad eos, quibus convenit. Qui enim ait eam periculosam esse ubi non desideratur; verbis iis eamdem approbat, ubi expetitur. Nulla igitur inconstantia in Hippocratica Doctrina super victus tenuitate,

te,

te, cum hæc commendetur ubi convenit, improbetur autem, ubi nequaquam conducit.

X. Sed qui inconstantiam in Hippocratica doctrina objiciunt, hic nequaquam se sistunt. Objectione, quam dissolvimus, viam ad majora sibi parare nituntur: ad ostendendum, scilicet, Hippocratem a tenujore victu in acutis medicos dissuadere voluisse, amplioremque alimoniam illis concedendam absolute præcepisse; eumque in ea sententia fuisse; quod si in victu acute ægrotantibus instituendo errandum sit, minus sit malum peccare in ampliore, quam in tenujore victus regimine. Quam sententiam sibi firmare videntur sexti aphorismi primæ sectionis auctoritate, qui sic habet: *In tenui victu ægri delinquunt, quo fit, ut magis lædantur. Quicumque enim error committitur major in hoc fit, quam in paulo pleniore victu. Propterea etiam sanis periculosus est valde tenuis, exquisitus, & constitutus victus, quoniam in eo errores gravius feruntur. Ob hoc igitur tenuis victus, atque exquisitus eo, qui est paulo plenior, magis periculosus.* Hoc igitur aphorismo haud paucis, neque indoctis viris visum est, & videtur, contraria omnino iis ab Hippocrate tradi, quæ alibi habet de victu acutorum. Rorarius, ut de uno sane docto pro cunctis loquar, in contradictionibus Hippocratis ait: *victu pleniori potius, quam parciori alendos esse ægros palam tenet* 1. *aphorism. sectione aphoris.* 5. *inquiens: in victu tenui &c.* Ut vero & iste, & alii veram Hippocratis doctrinam cum aphorismo concilient, omnino diversa a sensu verborum, & auctoris mente tradunt. Ea prosequi nimis longum foret: dixisse suffecerit, Clariss. Hippocratis Explanatorem

Valle-

Vallesium, ut ut plenioris victus amantior, sinistrum adeo de istorum Commentationibus judicium tulisse, ut scripserit': *mihi omnes hæ interpretationes, displicent: tum quia nulla earum videtur verbis quadrare, sed comparatæ videntur solum ad argumentorum dilutiones & ad fugam; tum etiam &c.* At illi ferendi sunt; quia quamvis verum aphorismi sensum minime assequantur; nihilo minus manibus, pedibusque faciunt, ut aphorismum cum reliquis locis concilient, atque Hippocratis de victu acutorum doctrinam sartam, tectamque servent. Minus bene ii facere videntur, qui ab apparente aphorismi sensu decepti, reliquis auctoris locis inconsultis, & ratione, observationibusque totius medicæ antiquitatis insuper habitis, absolute pronuntiant, ad mentem Hippocratis eos agere medicos, qui ampliore victu ægris indulgent; ac potiorem eam Praxim existimant, quæ uberius acute ægrotantes alit; putantes, errores plenioris victus facilius corrigi, quam levioris. Horum sententiam, & rationes examinabimus, postquam verum aphorismi sensum explicuerimus.

XI. Cum primis maxime mirum videri cuilibet debet, Galenum, acerrimi ingenii virum, oculatissimumque, atque in Hippocratis scriptis, doctrinaque versatum, magni magistri discipulum, quidem, sed non mancipium, adeo nullam in laudato aphorismo contradictionis notam cum Hippocraticis Dogmatibus, neque ullum, vel leve argumentum in plenioris victus favorem, non dicam jam vidisse, sed ne suspicatum quidem fuisse; ut postquam de diversa aphorismi in antiquis Codicibus lectione verba fecerit,

quæ-

quæque obtinet, utpote quæ univerſaliorem aphoriſmum faciat, prætulerit; pauciſſimis, vera aphoriſmi ſententia explicata, ſubdiderit: *quæ vero de aphoriſmo ſequuntur, ſunt manifeſta*. Hinc meritiſſimus Valleſius, qui vulgarem difficultatem in aphoriſmo ſibi videre videbatur, dixit: *Frigide admodum interpretatur Galenus ſententiam hanc Hippocraticam, alioquin difficilem*. At dummodo, ne quis ad eam Barbarorum medicorum auctoritate occupatus accedat; ſi ab iis opinio fluxit ea contineri præceptum de victu pleniore acute ægrotantibus adhibendo, quemadmodum nos ſuo loco; apertiſſima, ita me Dii ament, & facillima eſt.

XII. Sic habet prima aphoriſmi particula: *in tenui victu ægri delinquunt*. Profecto æquivoca dictio hæc eſt; ſignificare enim poteſt ægros delinquere dum tenui victui ſe ſe ſubmittunt; & tenui victui ſubmiſſos delinquere. Si errant ſe ſe tenui victui ſubmittentes; ideo errant, quia noxiam ſibi rem præſtant: ſin tenui victui ſubmiſſi, eoque utentes, in aliis errant; culpa non eſt in victu, ſed in aliis, quę peccant, atque in ſemetipſis, qui peccant. Unde vero ſcire poterimus, num errent eo victu utendo, ut propterea electus victus malus, damnoſuſque cenſendus ſit; an vero in aliis, quæ patrant, poſtquam victui tenui ſe ſe ſubmiſerint, eoque utuntur? Ex iis, quæ in aphoriſmo eodem ſequuntur: *Quicumque enim error committitur, major in hoc fit quam in paulo pleniori victu*. En rem in aperto poſitam. Noxa non eſt in victu, ſed in erratis, quæ cum eo victu, ſcilicet, dum eo victu utitur æger, patrantur. Ambiguitatem itaque ſententiæ tollamus eam aliter efferentes: *In tenui victu*

E

ctu ægri delinquentes magis læduntur . Quid ? putatis forte id meum esse Commentum ? Cornarii versio ea est , quam Græci Codicis fidem accuratius prosequi fassus est Clarissi. Tozzi ad hunc aphorismum ; quamquam veritatem quam vidit , quamque prope amplexatus est , sibi in verbis sophisma cudens , reliquerit . Hæc igitur est Hippocratis verissima , & apertissima sententia . Si qui ægrotant , & in ægritudine tenui victitantes victu errorem qualemcumque committunt ; magis ab eo errore læduntur , quam si illum commisissent victu copiosiore utentes . *Quicumque enim error* (sunt ipsissima aphorismi verba absque Paraphrasi ulla , quia priore soluta difficultate facilia intellectu) *committitur , major in hoc fit , quam in paulo pleniore victu . Propterea etiam sanis periculosus existit valde tenuis , & constitutus quoniam errores gravius ferunt . Ob hoc igitur* (non quia in se malus ; non quia ex se periculosus , acutisque morbis , & sanis etiam hominibus semper alienus sit ; sed quoniam non minus ægri , quam sani eo victu utentes , si quidpiam errent , gravius errores ferunt , & gravius læduntur) *tenuis victus , atque admodum exquisitus eo , qui sit paulo plenior , est magis periculosus* . Nisi quis inepte , & contra dialectices regulas , propositionem , quam in particulari sensu Hippocrates protulit , universalem reddere velit ; nodus jam dissolutus , atque dissectus est . Qui quamvis Gordianus non sit , eoque Alexandro aliquo dissectore minime indigeat ; nihilominus enodationis Gloria ad me nequaquam pertinet ; cum & ad hunc modum aphorismum intellexerit summus Hippocratis interpres Galenus ; & ita eum , præmissa prius versio-

versione, quæ verbum verbo redderet, Doctissimus Manardus (*a*) explicarit; & Manardi sententiam, explicationemque ille, vere Hippocratis genius, Martianus (*b*) obviis ulnis amplexatus sit.

XIII. Ne putetis autem, quod jure attendendum, Egregii Juvenes, est, solius ægrotantis, qui victu tenui utitur, errores aphorismo comprehendi: aliorum quoque errores circa eum ægrum admissos complectitur. Præter ergo ægrotantem, qui peccet, peccare quoque possunt, & assidentes, & Medici, quorum deinceps culpæ gravius pœnas æger luat, si tenui, quam si pleniore victitet victu. Plura autem sunt peccata, quæ ægrotus admittat. Cum enim morbo acuto ægrotet (nisi enim acuto morbo captus hujusmodi victui subjicitur) quæ in morbo mitiore peccata non essent, in acutiore peccata fiunt. Ideoque si lecto se se continere nolit: si ob ægre ferendum calorem, vel frigido aere gaudere velit, vel necessaria velamenta abjiciat: si intempestive frigida utatur: si inopportunis horis sermones trahat: si ab animi affectibus se se turbari sinat, delinquit. Error autem, qui commissus ab eo, qui victu pleniore uteretur, ob firmiorem facultatem minus offenderet; quoniam victu tenujore utens imbecillior est, gravior ei fit, & gravius affligit, utpote qui causis lædentibus minus resistit, earumque vim violentiorem sentit. Cum vero plura ex recensitis præstare æger haud possit, nisi assidentes illi indulgeant; in iis adsidentium quoque peccata consistunt. Ab adsidentibus vero omnium maximus error patratur, ubi de imbecilli-

(*a*) l. 4. Epist. 2. ad Anton. Favent (*b*) sup. 6. aphor. 1.

tate ægri timentes, pleniorem cibum illi offerunt. Medici quoque circa hosce ægrotantes decipi maxime possunt, ac præcipue in remediorum evacuantium administratione. Medicamentum ad unguem proprium, nec scribi omnino posse, nec dici tradidit Galenus (*a*) qui præterea docuit, nihil magis medicam artem in agendo conjecturalem facere (*b*) quam quantitatem remedii, quæ ægro conveniat determinare. Si itaque medicus, vel in alvum solventibus præscribendis tantillum peccet; vel per sectam venam aliquanto copiosius evacuet; ut errorem gravius sentiant, graviusque ferant qui tenui victu utuntur ob vires infirmas & nimium depleta vasa, quam si copiosiore uterentur, necesse est.

XIV. Hæc autem, non ideo scripsit Hippocrates, ut tenuem victum, ubi jure locoque convenit damnaret, medicosque ab eo, dum necessarius est, adhibendo, averteret; sed ut cautissime agerent; utque dum ægros, qui victu hujusmodi opus habent, ei subjiciunt; quam diligentissime caveant, ne per ægrotantes ipsos, neve per assidentes, neve ab ipsis medentibus error aliquis committatur. Ecquis, quæso putaret, dum facinoris alicujus difficultatem, necessarii tamen, quis indicat, ab eo aggrediundo, qui illud facturus est, avertere velle?

Non fit sine periculo facinus magnum, & memorabile ajebat servus ille apud Comicum. Non ideo tamen Clitipho, ut Bacchis reverteretur voluit; quoniam jam eum in locum res redierat, ut necesse foret, si & Cli-

(*a*) 3. method. c. 3.
(*b*) de curand. ratio. per sang. miss. ad Glaucon. c. 12.

Cliniam ſua, & ſemet Bacchide potiri vellet, eam domum Patris adduci. Ideo, non quia in victu tenui commiſſos errores gravius ægrotantes ferunt, ideo victus tenuis, dum morbus eum deſiderat, non eſt præſcribendus; ſed perquam diligenter cavendum, ne errores committantur.

XV. Quiſpiam nihilominus objicere poterit. Si ægri circa ſemetipſos errare poſſunt: ſi peccare poſſunt & adſidentes, & Medici: ſi errores iſti leviores fiunt in victu pleniore, quam in tenujore; eccur periculum hocce vitandum non erit, aliquanto plenius, quam parcius ægros alendo? In rebus ſummi momenti Artium omnium magiſtra, Prudentia nempe, non jam poſcit, ſed flagitat, ut, non modo errores, ſed errandi quoque pericula vitentur. Si igitur in maximi momenti re, qualis eſt acutus morbus, a quo vita homo periclitatur, in victu tenujore diſcrimen ſubeſt, ne gravius habeat æger, ſi forte circa eum error aliquis committatur; diſcrimen hoc profecto fugiendum eſt, & plenior victus ei periculo nequaquam obnoxius, inſtituendus.

XVI. Vix ſpecioſior ratio viro prudenti ſe ſe objicere poteſt. Verum, Lectiſſimi Juvenes, priuſquam illi aſſentiamini, neſcio quid mecum perpendere ne vos, quæſo, pigeat. Periculum multo minus eſt in ſanguinis emiſſione, quæ per ſcarificatas cucurbitulas obtinetur, quam in ea, quæ pertuſione venæ peragitur. Ecquis hoc negare auſit? Nonne plures: nonne, vel ipſe Ludovicus IX. Galliarum Rex ab infortuniis venam perperam ſectam ſubſequentibus, vel vitæ amittendæ periculum incurrerunt, vel il-

lam

lam amiſerunt ? Ergo in inflammatione vehementi, ubi & copioſa, & cita, & per amplius foramen facta ſanguinis evacuatione opus eſt, ſatius eſt admotis cum ferro cucurbitulis eum extrahere, quam e vena ſcalpello forata educere. Quid vobis videtur? Nonne ridiculi potius notam, quam prudentis viri nomen mereretur quicumque ita argumentaretur? Scio vos reſponſuros: dummodo vires id ferant, vena potius ſcalpello ſecta ſanguinem cito, & copioſe per majuſculum foramen effundat: ſecetur autem ab experto Chirurgo, ut, quantum fieri per homines poteſt, infortunia, & pericula præcaveantur. Quod ſi vires ægro defuerint; tunc ſcarificationes adhibeantur, quibus ſanguis cum minore virium diſpendio educicitur. Vos argumentum egregie ſolviſtis, mihique veram viam aperuiſtis, qua ad alterum ſolvendum incedam. Si acutus morbus victum tenuiſſimum deſiderarit, & ægri vires eum ferre poſſint; victus tenuiſſimus imperandus, & inſtituendus eſt. Ne tamen in hoc victu pericula, & ærumnæ contingant, quantum fieri poteſt, errata præcaveantur, quæ circa ægrum committi poſſunt. Sin vires non ſuppetant; paulo pleniore æger veſcatur. Probe jam meminiſtis ex Hippocrate, & Galeno, cibum non a morbo, ſed a viribus indicari. Sed ægrotantibus parumper dimiſſis, de ſanis, qui tenui victu utuntur, verba faciamus: eo etenim aphoriſmus nos vocat.

XVII. *Propter hoc igitur* (ſunt aphoriſmi verba juxta accuratiorem Manardi verſionem) *& ſanis fallaces ſunt valde tenues, conſtitutæ, & exactæ victus rationes, quoniam peccata difficilius ferunt*. Quæ autem ſunt hujuſmodi

modi tenues, constitutæ, exactæque victus rationes sanorum? Ut res plane intelligatur, neve tenuis sanorum victus cum victu tenui ægrotantium confundatur, non nescire necesse est, sanis quoque triplicem victus rationem ab antiquis constitutam fuisse, quod ex Clariss. Heurnio (*a*) accipio. Prima est vulgaris victus, quo scilicet, sani homines, nullo habito ciborum delectu, passim ad saturitatem utuntur. Hanc φαῦλον, nempe vulgarem, dixere veteres. Altera est mediocris, seu supravulgaris, quæ delectu non modo qualitatis, sed tanta quoque, non ampliore quantitate continetur, hominesque in ea semisaturi e mensa surgunt. Dixere hanc ἐπίφαυλον, & μετρίον. Tertia tandem tenuis, parcior, exquisitiorque, quæ cum victu pleno ægrotantium coincidit: hanc ἀκριβῆ appellavere.

XVIII. Fluxa, debilique admodum valetudine, ut ii e sanis hominibus utantur necesse est, qui tenui, constituto, exactoque victui se se obbligant. Hosce censui sanorum vix quis adscripserit. Eos tamen, si tali victu utentes peccent, magis affligi, & errores gravius, difficiliusque ferre necesse est. Historia etenim, & observatione constat, illos quoque, qui mediocri tantum, sobrio, sed ad libellam exacto victu, non tenui tamen, vivunt, si errores committant pœnas facilius, graviusque dare. Exemplo sit Nobiliss. ille Patritius Venetus Ludovicus Cornelius (*b*) qui cum diutius hujusmodi victu usus fuisset, illiusque tantum, non alia ope, a suis morbis convaluisset, pros-

(*a*) ad 4. aphor. 1. (*b*) de vitæ sobr. commod. ex version. Latin. P. Lessii S. J. apud Ramazz. T. 2. Oper. p. 190. Edit. Patav. 1718.

proſperrimaque ab annis pluribus ſalute frueretur; cum ad domeſticorum deſiderium, Medicorumque, minus ædepol Sapientium conſilio, duabus ſolummodo unciis cibum, totidemque potionem auxiſſet; primum male animo habere cæpit; tum graviſſime, & cum periculo ægrotavit. Id vero illi ideo contigit, quia illius ventriculus per plures annos tantæ, non ampliori, cibi quantitati ſuetus; quæque in eo erant ſanguinem propellentes vires, a multo tempore ſolitæ tantam, non ampliorem, ſuccorum vim per vaſa projicere, & in girum ferre: primus cibi, ut ut parum excedentem quantitatem, bene conficere minime valuit: reliquæ autem paulo majorem fluidorum copiam, neque expedite propellere; neque, ut æquum erat, elaborare; neque minus elaboratam per ſecernicula potiſſimum tranſpirantia expellere potuerunt. Si quis vulgari, plenoque victu utens, non modo tantillum, ut illuſtris Cornelius, ſed majorem quoque errorem commiſiſſet; non ſolum eandem læſionem non incurriſſet, ſed nullam, aut leviſſimam. Eccur vero hoc? Quia viribus potens; & cibum, & ſanguinem copioſiorem melius elaborare potuiſſet.

XIX. Si ea valetudine, & viribus homo gaudeat, quibus copioſiorem alimoniam facile conficere poſſit; dum hanc minuit, & vires ſibi, & robur imminuit. Viribus paululum imminutis, errorem quemlibet iſte committat: Venere, exempli gratia, paullo frequentius utatur. Majore, dubio procul, damno afficietur, quam ſi ſuis viribus inſtructus, voluptati pluſculum indulſiſſet. Idem graviorem laborem ſubeat: lædetur magis, quam ſi viribus valeret. Aeris injurias, viciſ-

ſitu-

ſitudineſque excipiat: imbecillior ob debitam cibi copiam ſibi detractam redditus, aeris qualitatibus minorem reſiſtentiam objiciet. Ob hæc etiam ſanis fallax, vel ſi mavultis, periculoſus eſt, non dicam valde tenuis, ut ajebat Hippocrates, ſed conſtitutus tantum, & ad menſuram exactus victus, quia in eo errores gravius ferunt. Propterea vero errores gravius ab iis ferri contingit, quia commiſſi, victus tenuitate præſente, majores fiunt, quam in paulo pleniore victu. Ideo ne concludendum, ſano ei cui plenior victus incommodior eſt, pleniorem nihilominus cibum exhibendum eſſe? Ne, quæſo, Dialectica hac utamini. Adeo plenus victus alienior Cornelio erat; ut non in tenui; ſed in ſobrio, ad menſuram tamen exacto, ei medicina fuerit. Dum vero paululum exceſſit, cito ægrotavit.

XX. Sed quoniam huc pertinet, de Famigeratiſſima Celſi Regula ad ſanos aliqua dicamus; quia quidam ex aphoriſmorum explanatoribus, explicato aphoriſmo, victum tenuem in ſanis abſolute ab Hippocrate damnari putantes; ſententiam quam tenent, imbiberuntque, ea confirmare ſe poſſe credunt. Ait igitur Celſus (a) quod ſanus homo, *qui & bene valeat*, & ſuæ ſpontis eſt, nullis ſe ſe obligare legibus debeat. Hunc varium vitæ genus habere jubet, variaſque & frequentes exercitationes (reſpicit hic Gymnaſtica exercitia, quæ ſuo tempore in uſu erant, noſtro autem obſoleverunt) ut ne ignavia corpus hebetetur, laboribus autem confirmetur. Nullum cibi genus, quo populus veſcitur, fugiat: *modo plus juſto*, *modo*

F *non*

(a) l. 1. c. 1.

non amplius assumat : bis die potius, quam semel cibum capiat, *& semper quamplurimum*, *dummodo hunc concoquat*. Claudit deinceps caput vetans, & genere exercitationis, & alimonia, Athleticam ne sibi comparet habitudinem. Sanum itaque hominem vulgari, & vario, neque exacto, constitutoque victu uti vult. Sed, quem sanum? Qui & bene valeat, robustus, scilicet, sit. Plurimi etenim sunt sani, sed imbecilles: atque adeo plurimi, ut sint ii, ad quos spectat alterum ejusdem libri Caput; major, nempe, pars urbanorum, & cupidi litterarum, quibus regulam Celsus nequaquam scripsit. Ei itaque, cui bene futurum est vario, & libero vitæ genere uti, haud sufficit sanum esse, sed ut robustus quoque sit oportet. Hinc cum primis videtis, quod si hic mavellet Celsus pleniorem victum sanis hominibus persuadere; propositio nequaquam universalis esset; sed intra arctos adeo cancellos circumscripta; ut ad tot modo spectet, quot sani sunt, & robusti, quorum numerus profecto minimus est, quemque vix æquant, prope dixerim; ut de numero bonorum ajebat Satyricus;

Thebarum Portæ, vel divitis ostia Nili.

Sed, vultne revera, ut plenius vescatur? Vult, si bene concoquat: sin minus, parcius illi edendum est. Qui autem bene non coquunt, num sanorum bene valentium numero adscribendi sunt? subjicit: athleticam habitudinem ab iis sibi cavendam. Habitus porro Athleticus comparatur, ubi quis plurimum nutritur: plurimum vero nutritur, cæteris consentientibus, ubi plurimo indesinenter, non vero ubi modo plurimo, modo parciore utatur cibo. Vult igitur sanum, & bene valentem, non plena, sed varia

ria victus ratione uti . Vult , ut supra posuerat , si bene coquat . Quod enim non coquitur , tantum abest , ut nutriat , ut ne nutriat quidem , sed corrumpatur : tuncque ex celeberrimi Sanctorii animadversione (*a*) cum excrementis , aliquid quoque bene cocti prioris cibi exit . Vult eum edere plurimum , non *absolute* , sed *respective :* tantum scilicet quantum coquit. Quod , ut ut sano & bene valenti convenire posse demus , omnibus sanis profecto dandum non est ; cum neque omnes sani bene valeant ; neque omnes sani quantum sumunt tantum coquant , cum id optimis solum Naturis , quas passim non offendimus , concessum sit ex Galeno , asserente (*b*) optimam Naturam solummodo , quantum appetat , tantum etiam coquere . Regula itaque decantata Celsi , nequaquam sancit sanis *absolute* pleniorem victum convenire ; sed sanos , robustosque , quique sui juris sunt , vario vitæ generi consuescere debere ; ne si uni , & constituto assuescant ; cum necessitas tulerit , ut aliquid in eo mutetur , gravius , & incommode ferant . Nunc ad Hippocratem redeamus .

XXI. Ex illius autoritate itaque , quam nobis frustra objecerunt , a primo ad ultimum stat , Hippocratem sanis victum pleniorem nequaquam suadere : quin universim , & absolute , mediocritatem in universo vitæ Regimine iis commendasse luculentissime patet ex Sectione sexta sexti libri Epidem. *Labores* , *cibi* , *potus* , *somnus* , *res Venereæ* , *omnia mediocria* . Stat quoque tenujoris in acutis victus , quibus jure , locoque convenit , amantiorem fuisse ; quod cum ei notum esse pos-

F 2 sit ,

(*a*) 93. aphor. 3. (*b*) Art. medic. l. 3. c. 2.

ſit, qui paulo diligentiorem ſolummodo explicatis aphoriſmis attentionem adhibeat; ille ſane percipiet, qui textum vigeſimum ſecundum libri acutorum legat. Ibi ait apertiſſime, eum magis errare medicum, qui cibum ægrotanti dat putans ab exhauſtu imbecillum eſſe, quam qui revera ab exhauſtu debili cibum attenuat. Videri ne cuiquam poteſt, Lectiſſimi Juvenes, eum, qui minus malum putat eſſe demere ubi addendum, quam addere ubi demendum, plenioris victus in acutis amantem, fautoremve eſſe poſſe? Minime gentium. Nihilominus decebat prudentiſſimum virum Medicos monere; ut tenui victu præſcripto quamdiligenter caveant, ne circa ægros quicquam peccetur, quod explanato aphoriſmo præſtitit; quia errores ab ægris, & circa ægros tenuiter victitantes commiſſi, graviores evadunt, difficiliuſque feruntur. Univerſa itaque, quæ ad rem hanc poſuimus ſua autoritate claudat, firmetque unus, e celebrioribus Hippocratis Interpretibus, Heurnius, qui ita (*a*) ſcripſit: *Si quis ſubſultim legat hunc aphoriſmum* (nos dicemus, binos hoſce aphoriſmos) *exiſtimet Hippocratem rejicere, aut accuſare diætam tenuem, aut tenuiſſimam. Minime. Hanc enim ſumme laudat ubique: hac, nihil felicius præſcribi poteſt in morbis acutis, & acutiſſimis; immo neceſſario his debetur talis victus. Sed jure & loco præſcribi debet: quod ſi id non fiat, erit periculi plenus talis victus.*

XXII. Aſt Hippocraticæ autoritatis abuſum, rationibus quoque firmare quidam contendunt. Hecquet Solidiſtarum Clariſſi. Anteſignanus ait, per tenujorem victum

(*a*) ad 4. Aphor. 1.

victum vaſa exinaniri : exinanita autem coaleſcere, & ſolidari. Inde ſubtilioribus liquidis curſum, viamque intercipi. Addam ipſe: intercipi quoque modum, quo liquida hæc elaborari poſſint. Organa etenim iis elaborandis, perficiundiſque apta & dicata, e cavis ſolida facta, inofficioſa omnino redduntur. Quamobbrem, non modo liquidorum vitia augeri, ſed motus eorumdem circularis, ſine quo vita eſſe non poteſt; prius in minimis; tum in paulo majoribus; in magnis tandem ſuſſlaminari debet.

XXIII. Vaſa exinanita concidere, quoniam neceſſarium, certiſſimum eſt. Coaleſcere quoque, ſi non omnia, teneriora ſaltem, & ex cavis ſolida fieri ſi diutius exinanita permaneant, a ratione alienum non eſt. Ajo quoque proſcriptas fuiſſe, damnataſque ab Hippocrate evacuationes eas, quæ vaſa cito exinaniant: *plurimum, atque repente evacuare .... malum; omne enim nimium naturæ inimicum* (*a*) Quin ultro concedo, regulam hanc & abſolute propoſitam, & abſolute veram eſſe. Pro adnotatione tantum illi ſubjicio, æquum, immo neceſſarium fore, ut nos adhibeamus menſuram ad dimetiendum illud *plurimum*. Quod enim plurimum in uno caſu eſt, in altero non eſt; quæque evacuatio plurima reſpectu Titii dici poteſt, plurima nequaquam dici poteſt reſpectu Sempronii. Nihilominus aſſero, neque per omnimodam abſtinentiam, neque per victum tenuiſſimum, acute ægrotanti vaſa pernicioſe exinaniri poſſe, neque coaleſcere.

XXIV. Plures de diuturniore a cibo abſtinentia hiſtorias non moror, neque homines pluribus diebus ſine

cibo

(*a*) 51. aphor. 2.

cibo vivere posse, ex narratione a D. Luca (*a*) relata probare contendam, ne quis mihi regerat illud miraculo contigisse. Neque nobilis mulieris casum a me visum narrabo, quæ plures dies omnino sine cibo vixit; tum quia in morbo eo mortua est; cum maxime, quoniam clysmata nutrientia adhibita, ut vitam diutius protraheret, in causa forte fuere. Mitto quoque historias, quas habet Stalpartius Vander-Viel (*b*) quasque meritissimus Bonetus (*c*) habet ex Sampsonio, Helvigio, Thoma Bartholino: mitto quas refert Rhodius ex Dominico Sala, Horatio Augenio, & Musa Brasavolo. Unicam a Tulpio (*d*) relatam afferam, quæ longioris abstinentiæ a cibo exemplum exhibet, non tamen voluntariæ, neque morbosæ, verum coactæ. Septem Britanni Scapham ingressi, ut non longinquam Insulam peterent, a venti vehementiore vi in altum pellebantur. Undecim integros dies per freta longa jactati sunt absque ullo cibo. Imminente ob inediam morte, sortes unanimiter miserunt, ut ex iis unus, quem sors tulisset, jugulari se sineret, suo sanguine & carnibus sociorum vitam sustentaturus. Horum unus, qui necati socii carnibus vesci noluit, ob famem in furorem actus se se in mare præcipitem dedit: reliqui tam diro cibo cibati incolumes evasere. Hinc primum noscite, ex omnimoda undecim dierum abstinentia, & inter, quidem, maximos, assiduosque labores, qui adeo per se consumunt, lata, iis vasa nequaquam coalita fuisse contra auctoris, quisquis ille fuerit, libri de carnibus, Hippocra-

pocra-

(*a*) Act. Apost. c. 27.
(*b*) T. 2. observ. ad observ. 15.
(*c*) T. 1. M. S. l. 3. sect. 3.
(*d*) l. 1. observ. 43.

pocrati adſcripti, ſententiam, qui ſcripſit: *Si quis in ſeptem diebus nihil edere, aut bibere velit, plerique quidem in iis moriuntur. Sunt autem qui ipſos tranſmittunt, & tamen moriuntur. Sunt etiam quidam, qui perſuaſi ſunt, ut ne deſperarent ſe ipſos fame conficientes, ſed comederent, ac biberent. Verum venter non amplius ſuſcipit; jejunum enim inteſtinum in his diebus concrevit, moriunturque etiam illi* (*a*). Noſcite, & alterum; hominem undecim ſaltem dierum inediam ferre poſſe, abſque eo quod minima vaſcula illi exhauriantur. Quod ſi non exhauriuntur ſano vehementerque laboranti; an timendum ei perperacuto morbo correpto, illo ſcilicet, qui circa quartum diem judicatur, cui ſoli Hippocrates victum extreme tenuiſſimum, omnimodam, nempe, abſtinentiam præſcribit, vaſa pernicioſe, lethaliterque exinaniri? Si hoc verum foret, univerſi Diatritariorum ægrotantes mori debuiſſent, quod tamen ſatis notum eſt falſum eſſe. Neque Hippocrates longiorem abſtinentiam, qua Cnidii Medici ex eodem, quaque, Celſo teſte, Ægyptii, Aſiaticique utebantur, improbat, quia mala abſolute eſſet; ſed quia indiſcriminatim omnibus ægrotantibus eam adhibebant. Obſervatio igitur oſtendit, metum, ne acute ægrotanti vaſcula pernicioſe exhauriantur, ſi tenui, aut extreme tenuiſſimo victu, prout genus morbi requirit, tractetur, nullum omnino fundamentum habere.

XXV. Præmiſſa obſervatione conſideremus nunc, num obſervationi ratio reſpondeat. Vaſa minima ob abſtinentiam victumque tenujorem nequaquam exinanirentur, ſi craſſior ſanguinis pars, quæ capacioribus cana-

(*a*) tex. 21.

canalibus continetur eo exilitatis redigi poſſet, ut quæ hujuſce extenuationis capax eſt, ad minima ingredienda, & perluenda vaſa apta fieret. Id autem in acute febrientibus, primis ſaltem morbi diebus, cum plurima in venis ſupervacua continentur, nec reliqua multum denſata ſunt (*in principiis* etenim ex Hippocrate (*a*) *omnia leviora*) non contingere non poteſt. Cum ex vaſis rubris flava; ex flavis lymphatica; ex hiſce minora adhuc, tum minima vaſcula nequaquam exoriantur, ſed tranſpirantes quoque ſyphunculi ex arteriis immediate enaſcantur, quod præſtantiſſimo Hallero per injectiones conſtitit: cumque ex eodem (*b*) globuli rubri ſanguinis ſolo calore & fotu in flavos abeant, adeo ut totus ſanguis in flavum liquorem, etiam in vivo homine, converti poſſit; quanto facilius id continget, ubi & per febris calorem, & per motum adauctum illorum diſſolutio facilior futura eſt? In ſerum itaque, & in liquores ſero ſubtiliores converſi exilima ingredientur vaſa, neque ea collabi ſinent; præſertim cum rarefactio individua caloris comes, maſſulas rariores, & turgidiuſculas faciat.

XXVI. Verum enim vero locus Hippocratis de evacuationibus exinanientibus a nobis ſupra allatus, diligentiorem animadverſionem deſiderat. Animadvertite itaque, dixiſſe Hippocratem malum eſſe, non plurimum tantum, ſed plurimum, & repente evacuare. Plurima etenim, & repentina; ſcilicet ſubitanea; ſcilicet cito peracta evacuatio, vaſa quidem cum periculo exinanit; plurima autem non repente, ſcilicet,
non

(*a*) 30. aphor. 2.

(*b*) in prim. Phyſiol. lin. c. 7. 163.

non acervatim facta , vasorum exhauriendorum caret periculo . Mulieres mensium nimietate laborantes, non modo ad menses , sed ad annos quoque plurimos morbum ferunt. Si quis sanguinem effusum ponderaret, miraretur profecto, ut tanta illius vis effundi potuerit, muliere superstite. Plurima facta fuit evacuatio, sed non facta repente, non cito, non acervatim. Aliquando e contra, non minus quæ abortum passæ sunt, quam quæ maturos fœtus ediderunt, nimium reseratis uteri vasis inexpectato, & ferme improviso objerunt. Magnam, utique, & istæ sanguinis effusionem passæ sunt; sed nullo modo ei comparandam, quam annuo spatio mulier nimiis mensibus exercita fudit. Non ideo vitam cum morte commutarunt, quia tantum cruoris effuderunt ; sed quia repente , parvo scilicet tempore, acervatimque, illum emiserunt . In repentina enim, copiosa, acervatimque facta sanguinis profusione, fieri non potest, quin ex hydraulica lege plurimus cruor ad vasa, quæ evacuantur, ob ablatam resistentiam, vehementer fluat, excurratque . Parum hinc, &, ut ita dicam, tantillum sanguinis ad cerebrum it , paucioresque spiritus a pauco sanguine secernuntur. Horum defectus, ut sanguinis ad cerebrum pulsi , singulis cordis contractionibus crescit , & cito mulier cum sanguine vitam amittit . Periculum hoc imminere ex vulneribus observavit Hippocrates, quapropter monuit (*a*) *in vulneribus sanguis concurrit : opitulandum igitur , ut vacuum expleatur* . Vacuum autem, ut cuilibet patere potest, ideo fit ; non quia sanguis tantum evacuatur ; sed

 quia

(*a*) 6. Epid. sect. 5.

quia ad ſauciata vaſa concurrit: ſcilicet, quia copioſa, & cita evacuatio eſt. Copioſiores, itaque, evacuationes tunc inanitionis vaſorum periculum inferunt, cum repentinæ quoque, nempe, cum breviore tempore fiunt, non autem ubi ſpatiis longioribus contingunt.

XXVII. At quis, quæſo, dixerit, ſi etiam evacuatio, quæ ab abſtinentia, victuque tenuiſſimo venit, ſumma foret, eam repente, breviſſimo tempore, acervatimque fieri? Nemo ſane, qui ea, quæ oculis uſurpantur, negare nolit. Nullum ergo periculum nimiæ, periculoſæque inanitionis vaſorum ab ea abſtinentia eſt iis in morbis, quibus alienior ea minime eſt. Quoniam evacuat hæc quidem, ut ita dicam, *negative* (ajebat Galenus (*a*) *inedia non per ſe evacuat, ſed per quamdam perſpirationem, quia nullum alimentum, quo evacuata materia inſtauretur, introducitur*) ſcilicet: dum nihil novi vaſis inditur, vitæ vires, quæ agere continenter pergunt, veteres ſuccos digerunt, extenuant, conſumunt, expellunt; ſed id non affatim, neque pauco tempore, & repente fit; ſed ſenſim ſine ſenſu, ut dicitur, & non interrupta quidem, ſed paulatina, & diutina evacuatione. Abſtinentia igitur ea aphoriſmi particula nequaquam comprehenditur, qua plurimas, repentinaſque evacuationes Hippocrates improbat, ſed altera, qua ponit: *quod paulatim fit tutum eſt*. Optimo jure, igitur, ad morborum principia, præ quibuſcumque aliis auxiliis, abſtinentia a Celſo (*b*) commendatur: *Plurimi falluntur, dum ſe primo die protinus ſublaturos languorem aut exercitatione, aut balneo, aut vomitu, aut*

coacta

(*a*) Comment. I. de humor. 12. (*b*) l. 3. c. 2.

coacta dejectione, aut sudoribus, aut vino sperant. Non quod non interdum id incidat, aut non decipiat, sed quod sæpius fallat; solaque abstinentia sine ullo periculo medeatur.

XXVIII. Unicum nunc effugium iis restat, qui plenius ægros acute febrientes alendos esse contendunt, scilicet consuetudo. Non modo ætati, regioni, tempori, sed consuetudini quoque aliquid dandum esse Hippocrates præcipit. Cum itaque nostris temporibus copiosius, magisque opipare ali soleant homines, quam temporibus Hippocraticis; necesse est medicos, ut huic consuetudini indulgeant, aliquanto copiosius, quam fuerat Hippocrates, ægros alere. Hæc est vetustissima cantilena, quam quælibet ætas exacti temporis laudatrix semper cantavit:

Ætas Parentum pejor avis tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

Itemque: *Terra malos homines nunc educat, atque pusillos.*

XXIX. Nisi ex litterarum monumentis constaret, homines qui cultiores sunt habiti, qualibet ætate in victu intemperantes fuisse; sola humanæ naturæ consideratio Philosophum docere posset, eos anteactis quoque, non minus, ac nostris temporibus, gulæ deditos, & de cute curanda solicitos extitisse. Homini sponte in voluptates prono, sobrietas & temperantia virtuti semper, incommodo, scilicet, fuit; eoque, si paucos excipiamus, *quos æquus amavit Jupiter* (multitudini enim nunquam meliora placuisse certissimum est) dicendum, quolibet tempore sibi bene homines voluisse, genioque indulsisse. Propterea quibus nota intemperantia fuit, quibusque & sanitas, &

ætas, & res domi non angusta id facere sivit; & lautitiis pro temporum genio gavisi sunt; & opipare, neque solum ad vitæ necessitatem, comedere sueverunt. Non negavero quasdam Nationes extitisse, & forte existere, quæ universim parce, & frugaliter vivunt. At barbaræ, & incultæ, eoque minus vitiosæ, Apicianam scientiam minime norunt; neque ideam aliorum ciborum habent, quam quos illis Grex, solumque obvios, simplices, facilesque offerunt. Ex iis istæ sunt, de quibus dici potest, quod de Scythis ajebat Trogi compilator, (*a*) plus scilicet illis profuisse vitiorum ignorationem, quam Græcis cognitionem virtutis. Legi, Persas frugi admodum esse. At Clariss. Auctor, unde hoc habui, subdit, illos non virtute tales, sed alterius vitii vi existere. Cum enim in vestibus, in gemmis, in equis, in Famulitio magnificentissimi sint, in luxumque hujusmodi effusissimi; ob expensas, quas, ut uni vitio indulgeant, faciunt, nequaquam iis superest unde alterum colant, ac laute comedant. Ii quoque qui fervidiori Cælo subsunt parciores in victu esse consueverunt; tum quia forte intemperantiam ignorant; cum maxime, quoniam *sub axe nimium propinqui Solis*, haud minore, quam cito vitæ dispendio Gulæ vitium stat. Sed, quemadmodum supra posui, litterarum monumenta abunde testatum faciunt, cultiores Nationes Gulæ, atque intemperantiæ deditas semper fuisse. Galenus, qui sub Antoninis floruit, intemperantiam (*b*) sui temporis carpit. Plutarchus, qui (*c*) sub Trajano

(*a*) Justin. hist. l. 3. (*b*) Com. 6. aphor. 28. 29.
(*c*) T. 3. moral. sympos. 1. Quæst. 2.

no vixit, ſui temporis menſas pingendo, noſtras quoque, haud per Jovem, frugales, perbelle pingit. *Proinde ridiculum eſt coquis, & menſæ miniſtris curæ eſſe, quid primo, quid ſecundo, medio, ultimoque loco apportent.* En, ni fallor, quatuor menſas: *Portate* hodie dicimus. Plinius ſenior Veſpaſianis coævus fuit. Ex ejus verbis (*a*) noſcere poſſumus qualis eſſet tunc temporis vivendi modus: *At nunc Coci Triumphorum Imperiis parantur, & coquorum piſces; nulluſque jam mortalis æſtimatur pluris, quam qui peritiſſime cenſum Domini mergit.* Ex Senecæ Epiſtolis, præcipueque ex nonageſimaquinta ſatis apparet, ut Neronis tempore Gula obtineret. Progrediendum nobis eſt ad ætatem Auguſtæam? Habetur lex Julia. Syllæ tempore cœnarum diſpendia, lege, caſtigata fuere. Ante Syllam, Licinia quoque, & Fannia contra eoſdem conviviorum ſumptus rogatæ ſunt. Quid porro indicant Paraſiti a Terentio, qui cum Africano vixit, & a Plauto Terentio antiquiore, in Comœdiis introducti? Num Græcos illorum temporum, ad quæ fabulæ illæ referuntur, homines frugi fuiſſe? Quid de temporibus Platonis dicendum? Iſte in Convivio Pauſaniam inducit ſuadentem in vino temperantiam, confitentemque ſe adhuc heſterna crapula gravatum, idemque de aliis opinantem. Ariſtophanes vero ait ibidem, ſe unum ex iis eſſe, qui prægreſſa die non jam pluſculum biberunt, verum ſe ſe ingurgitarunt. Quin idem Ariſtophanes aſſidue ſingultiens introducitur, addita ſuſpicione, ne a repletione nimia ſingultiret. Num altius quoque ad ejuſdem Hippocratis tempora aſcenden-

(*a*) H. N. l. 9. c. 17.

dendum eſt? Profecto, quod neque ciborum varietatem, neque copiam damnaſſet Hippocrates, ſi apud ſui temporis Græcos parſimonia, & temperantia obtinuiſſent. Quæ igitur (malum) ut nos noſtrorum pudeat, tempora, & ſæcula nobis objiciunt? Saturnia, Fabulas nempe. Sane, aſſerere ætatem extitiſſe, qua Populus Barbariem exutus, politiorque factus, cumque aliis excultis Nationibus commercia miſcens, Virtutis & Temperantiæ ſibi ſtudium adſciverit adeo fabuloſum eſt, ut nulla Fabula fabuloſior eſſe poſſit. Qui ajunt, igitur, noſtris temporibus ægros plenius alendos, quam temporibus Hippocraticis, ut conſuetudini inſerviamus: ſcilicet, quia nunc intemperantius, quam olim, vivitur; rem nullo innixam fundamento effutiunt.

XXX. Non a vi conſuetudinis, ſed aliunde ortum habuit ea Praxis, qua acutis correpti morbis plenius aluntur. Zacutus Luſitanus (*a*) a Barbaris medicis quæſitum fuiſſe ait, num victus ratio incraſſando, an extenuando procedere debeat; ac Doctiſſimus Slanus aſſerit (*b*) Barbaros Medicos primum putaſſe, aphoriſmo, quem poſtremo explicuimus, præceptum contineri de victu pleniore acute ægrotantibus adhibendo. En itaque mali fons. Iſti, qui poſt Arabes ad inſtaurationem uſque Scientiarum, ad Sæculum nempe decimum quintum provectum Scholas obtinuerunt, Barbari dicti, plenius ægros alere cœperunt. Mos ægrotantibus non injucundus, Græcæ Medicinæ reviviſcentis cultores, ſectatoreſque tetigit; quorum quidam ut credere æquum eſt, natura indulgentiores, ne ægrotantes

(*a*) l. 2. Hiſt. Med. Princ. Quæſt. 50.

(*b*) 7. aphor. 5. 1.

tantes turbarent ; non pauci , ut conjicere non iniquum, in adulationem proni , ut eos ſibi benevolos redderent ; plerique autem, ut certiſſimum, viri Doctrina magis, atque Eruditione, quam Praxi Medica Clari , illum retinuerunt ; ac quem ſanioris medicinæ Græcæ Proceres conſtanter damnarant (ut de iis fit , quæ quamvis mala , aut inepta , poſtquam in communem uſum recepta ſunt , ratiunculis non minus ineptis firmare ſatagimus) ejuſdem Hippocratis auctoritate, illius ſenſa detorquendo, atque a conſuetudine, cui aliquid concedendum ille docuerat, argumenta ſumendo, probare ſtuduerunt.

. . . . ſic obſervatio crevit
Ex atavis quondam male cœpta, deinde ſecutis
Tradita temporibus, ſeriſque Nepotibus aucta.
Traxerunt longam corda inconſulta catenam,
Moſque tenebroſus noſtra hæc in tempora *fluxit*. (*a*)

XXXI. Apud Italos tamen, ex teſtimonio Clariſſimi Batavi Foreſti (*b*) qui Bononiæ ſtuduerat (ſcribebat iſte decimo ſexto ſæculo adulto, & declinante) hæc Praxis minus invaluit . Agens iſte de Synocho putrida hæc habet : *Cibus huic in principio panatella ſimplex, & hordeacea cum vino granatorum. Poſtea ne deficerent (nam noſtris tenuis victus non adeo ita confert ut Italis) etiam jus pulli cum ſpinacchia, & lactuca conceſſimus, poma cocta , panatellam, ex cereviſia pane intrito, & ſaccharo conſperſo*. Quod ſi ex præſentibus præterita conjici poſſunt; minus etiam valuiſſe dicendum eſt apud Anglos , quoniam hodiernis quoque temporibus, ut videbimus, avenaceis ſolummodo, aut hordea-

(*a*) Prudent. in Symach. l. 1.   (*b*) T. 1. obſerv. l. 1. 14.

deaceis Præclari illius Doctissimæ Nationis Medici febrientes alere solent. Valuit tamen, & plurimum quidem apud Gallos, Valleriola teste (*a*) qui victus rationem, qua ad acutos morbos Medici in Galliis utebantur, carnes, juscula, vinum, variosque cibos, Proceribus præsertim Aulicis offerentes, monstrosam vocat. Iste quoque Auctor diætæ Italorum ibi meminit, quæ longissime ab ea, qua plerique e nostratibus hodie utuntur, distat.

XXXII. Eadem est origo stillatitiorum e pullis, jurium consumptorum, contusorum, expressorumque e carnibus, ac restaurantium, quæ prisca Medicina omnino ignoravit. Ex eruditissimo Mercuriali (*b*) Avicennas in libro de viribus Cordis, meminit distillati e carnibus, quod aquam carnis vocat, eamque utiliorem putat, si ei in distillatione addatur succus Citri, folia Boraginis, acetosæ, melissæ, acetumque ipsum rosaceum. Rhazes autem, & Alzaharavius ex Zacuto Lusitano (*c*) decocta restaurantia e pullis, superioribus minime nota, habent, quibus uniones quoque, atque aurum, præter alia putata Cardiaca, & aliquid optimi vini, aut aceti (id autem minus inutili consilio) miscebant.

XXXIII. Ex hisce, vobis, Optimi Juvenes, colligere facillimum est; non ut consuleretur sanorum consuetudini victum pleniorem apud acute ægrotantes invaluisse; sed, quem ignorantia primum invexerat; ob indulgentiam nimiam; ob adulationem; atque ob rem minus examinatam, sanioris quoque Scholæ Medicos

(*a*) l. 3. locor. commun. c. 15. (*b*) de Pestilent. c. 24.
(*c*) l. 3. Hist. Med. Princ. Quæst. 20.

dicos retinuiſſe, atque ad nos uſque miſiſſe; quamvis a bonis Clinicis, & voce, & ſcripto, & Praxi ipſa haud raro caſtigatam, & reprobatam.

XXXIV. Nolim tamen putetis, me conſuetudini, cui Empirici quoque ex Galeni teſtimonio (*a*) tribuebant, nihil dare. Illud ei tribuo, quod tribuendum docuit Hippocrates (*b*) *aliquid*, nempe, non *plurimum*. At, quæ quæſo, vis hæc conſuetudinis, quæ altera prope Natura ab Philoſopho vocata fuit? Qui de ea ex profeſſo tractarit, præter Galenum, & Sanctorium, neminem adhucdum legi. Medici, ac Philoſophi de ea ita loqui mihi videntur, quemadmodum olim de ſtellarum influxibus loquebantur. Dicebant hoc, aut alio modo res cadere, vi cælorum in hæc inferiora vehementer potentium. At in quo vis iſta conſiſteret, quomodo ageret, quid ſubjectis corporibus immitteret, nequaquam dicebant. Ad eundem modum de conſuetudine loquuntur: vim conſuetudinis magnam eſſe deprædicant: vi conſuetudinis talia potius, quam alia contingere in homine dicunt: vi conſuetudinis hæc potius, quam illa perfici; ſed verbis hiſce contenti, quid Phyſici ea tegant revelare neque ſatagunt, neque ſatagerunt. Si vos me audire non pigeat, quid hac ſuper conſuetudine, illiuſque vi meditatus aliquando ipſe ſim, vobis exponere nequaquam gravabor.

XXXV. Conſuetudo in aliquo laborioſo opere peragendo præſtat, ut opus illud facile conficiamus; atque opus facile conficere, eſt, illud minus laborioſe peragere. Minus autem laborioſe opus ali-

 quod

(*a*) 3. Method. c. 3. (*b*) 17. aphor. 1.

quod quiſpiam exequitur, quo plus virium ad opus exequendum ei eſt. Cum igitur relate ad datum opus, idem ac virium abundantia præſtet conſuetudo; haberi ea poterit, reſpectu ad illud ipſum opus habito, pro quantitate virium; & lege contrariorum, inſuetudo in eodem caſu, pro viribus imminutis. Hinc quotidie videmus, quod ab ipſomet Hippocrate adnotatum fuit (*a*) facilius ferri labores, ſed conſuetos a debilibus, ſenibuſque; quam a juvenibus, atque robuſtis eos, quibus minime conſueverunt.

XXXVI. Quoniam igitur conſuetudo pro viribus auctis haberi poteſt, ac debet, modo hujuſce rei ratio inquirenda eſt, videndumque, ut vires conſuetudo addat. Conſuetudo ad aliquod peragendum opus per nos acquiritur, opus illud frequenter præſtando, ſeu frequenter machinas illas & inſtrumenta exercendo, quæ operi faciundo inſerviunt. Quid porro organis quæ exercentur novi tribuit frequens illorum exercitium? Obſervate curſorum ſuras: adſpicite remigantium brachia: conſiderate quid manui operoſiori contingat: perpendite quid brachio illius accidat, qui folle luſorio ludit. Videbitis organa hæc frequentius exercita, reliquis, quæ minus exercentur, & toroſiora, & firmiora evadere. Eccur autem hoc? Ab Hippocrate accipite obſervationem alteram, unaque obſervatorum rationem: obſervationem, inquam, quæ, ſi non modo bene valentes, ſed boni quoque, ut putandum eſt, eſſe vultis, eximio vobis uſui futura erit: *Vir ſi multum coeat, venæ ampliores redditæ Venerem magis inducunt* (*b*). Ut frequens Veneris uſus genita-

(*a*) 49. aphor. 2. (*b*) de natur. puer. tex. 22.

nitalia vaſa ampliora reddit; ſic iterati actus, reliquis partibus frequenter exercitis vaſa capaciora faciunt. Hinc iis & copia ſanguinis, & nutrimenti major. Ob majorem nutrimenti copiam firmiores redduntur: ob ſanguinis copioſiorem affluxum, vis ſuperaddita, quæ ab fluidi influxu venit, major, intenſiorque eſt: ſic utroque de nomine fortiores, opera peragenda facilius, promptiuſque exequuntur.

XXXVII. Quod autem externis partibus, oculiſque, ac voluntati ſubjectis conſuetudo præſtat, idipſum internis, atque ab oculorum acie remotis, nec voluntati inſervientibus largitur. Rem explicemus exemplo. Helluo, atque abdomini natus, irritatione, quam frequentius ventriculi fibris cibi copia induxit, ſanguinis copioſiorem vim in ventriculi vaſa ſæpiſſime determinavit. Hinc vaſorum ventriculi tunicis intertextorum capacitas major reddita: copioſior inde ſanguinis affluxus: nutrimentum fibris copioſius propterea appoſitum: ideo tunicæ illius viſceris validiores factæ: ſucci gaſtrici ſecretio quantitati ſanguinis eo appellentis reſpondens, nempe major: ab hiſce omnibus digeſtio expeditior, ac ſenſus famis, ciborumque deſiderium fere præſens. Ita conſuetudo, quemadmodum externis organis, internis quoque, neque a voluntate pendentibus vim addit, & relate ad datam operationem pro viribus auctis haberi debet.

XXXVIII. Conſuetudo tamen internorum neque a voluntate pendentium, quoad effectus ab ea exorientes, plurimum differt a conſuetudine voluntariis inſtrumentis inducta. Nullam moleſtiam partes voluntati ſubjectæ ſentiunt, ſi a conſueto opere ceſſent,

neque animo vim ullam inferunt. At quæ ſine voluntatis imperio operantur machinæ, ubi a conſuetudine validiores redditæ fuerint, non exiguam moleſtiam homini pariunt ſi eis apta objecta in quæ operentur deſint, & præterea animum quoque non leviter afficiunt. Cum ventriculus acquiſita per conſuetudinem vi fortius latrat, neque habet quod mordeat, ſe ſe, ut ita dicam, mordet, excruciatque. Cum vero per animalis Œconomiæ leges conſtitutum ſit, ut ei dolenti omnia compatiantur, quemadmodum per validum illius tenorem omnia firmantur; ſequitur hominem aut voraciorem, aut ſtatis horis comedere ſuetum, ſi ſine cibo detineatur, toto corpore male habere. Addite quoque, bilem in duodenum deciduam, neque cibum ibi nactam, quo ſuper operetur, atque in quem ſuam vim exerat, nudas inteſtini membranas fortius vellicare, novamque moleſtiam jejuno homini creare. Hinc qui fame laborant moroſi, iracundique ſunt. Hinc, ex lepidiſſimo Plauto, vetus adagium: *fames, & mora bilem in naſum conciunt*. At pejus eſt, ubi organorum a voluntate nequaquam pendentium actiones, per vim a conſuetudine additam vividiores, illiuſmodi fuerint, quæ non moleſtas, ſed voluptuoſas, jucundaſque ideas excitent. Alte adeo in cerebro ideæ iſtæ exculptæ, ut ita dicam, tunc remanent, ut fere præſentes homini fiant, neque actus, a quo pendent, opera, ut excitentur, indigeant, ſed ipſæ, organa actui illi inſervientia, ad actum ſollicitent. Niſi tunc rationis, animique vis vincat; homo per ſe in voluptatem pronus, voluptatis mancipium fit; neque a conſuetis voluptuoſis actibus ſine labore

&

& nisu se se continere valet. Ita de gula, ut reliqua mittam, ille naris emunctæ vir Lucianus: *Gula, ea quibus assuevit, flagitat, quæ, cum negantur, indignatur* (*a*). Sed nos fabri fabrilia tractemus, atque Ethicis omissis, quæ nostra sunt, Physica nempe, & Medica prosequamur.

XXXIX. Diximus de physica consuetudinis vi relate ad actionem: nunc de eadem relate ad passionem dicendum est. Tritum Philosophis axioma est: *ab assuetis non fit passio, & si fit, non tanta*. Rei rationem reddunt, idem aliis verbis dicentes; minorem, scilicet, impressionem nobis facere quibus assuevimus. Effectus causam physicam non aliunde duci posse censeo, quam ex supra posito principio; scilicet, consuetudinem, relate quoque ad passionem, patientibus partibus vires addere, habendamque esse pro viribus auctis. Ubi enim corporis sentientis vis aucta fuerit, potentiæ in illud agenti magis resistit, eoque ab ea, aut minus patitur, aut prorsus non. Passionis sensus, ex certissimis observationibus, non in organo, quod a sensibili afficitur, sed in sensorio communi fit; ac major, aut minor in communi sensorio excitatur (posito, neque organum, neque sensorium vitiatum fore) quo major, aut minor est mutatio in organo a sensibili objecto inducta: necessario hinc sequitur, sensorium commune minus affici, ubi in organo mutatio, seu impressio minor facta est. Quoniam ergo in assuetorum ad organa applicatione passionis sensus in sensorio minor est; necessario inferendum assuetorum applicationem minorem mutationem, præ insuetis, in organis, quibus

(*a*) de iis, qui merced.

bus applicantur, inducere; ſeu organa iis magis reſiſtere; ſeu organa, relate ad conſuetorum applicationem, firmiora evaſiſſe. Rem exemplo illuſtremus. Prope aliquem tormentorum bellicorum exploſioni minime aſſuetum, tormentum aliquod explodatur: tremit iſte, & toto concutitur corpore. Inſueta, vehementiorque vis, qua aer tympani membranam, quæ ad finem meatus auditorii eſt, percutit, maximam mutationem in ea inducit, quæ, mediis oſſiculis, organo auditus in Labyrinto latitanti communicata, ac mediis organi nervis ad commune ſenſorium delata, eam ſpeciem homini excitat, quæ cum tremore, & corporis univerſi concuſſione conjungitur. Cum vero (ut quæ apud omnes Phyſiologos certa ſunt aſſumamus) oſſiculorum auris muſculi ſentiant, irritabileſque ſint; a vi illorum fibras inſigniter afficiente divelluntur, extimulanturque, ac majorem ſolito fluidi quantitatem, qui ſtimuli ſolitus effectus eſt, recipiunt. Iterum, iterumque vim exploſionis ſentiant: vehementer iterum iterumque concutientur: liquidum copioſius iterato in eos influet: hinc illorum vaſcula capaciora evadent: vim ſanguinis majorem, quam antea recipient, continebuntque: largius illorum fibrillæ nutrimentum capient: toroſiores, firmioreſque fient, atque a membranæ tympani concuſſionibus minus patientur: ſcilicet, iis plus reſiſtent: leniores tremores auditus nervis communicabunt; iſtique lenius trementes, minoris momenti ſpecies in cerebrum, & in commune ſenſorium deferent. Ita qui quondam unius tormenti exploſionem ſine totius corporis concuſſione ferre non poterat; organo per conſuetudinem paulatim firmiore reddito, abſque

mole-

molestia immanem inter illorum fragorem versatur. Litteris proditum est, obsidionales milites aliquando post noctes plures evigilatas, prope tormenta assidue explosa somnum placide captasse. Id non a sola consuetudine, sed etiam a vi somni sensorium afficientis, ac ne fragoris species per nervos ad illud allatas sentiat, impedientis, contigit.

XL. Unum hic animadvertere opportunum duco; magis, scilicet, lædi, quicumque contra consuetudinem (sive internis, sive externis; sive voluntariis, sive spontaneis machinis inducta ea fuerit) operatur, atque laborat; quam qui præter consuetudinem ab opere cessat. De voluntariorum organorum consuetudine res satis in aperto est. Quis enim ajat, Bajulum magis lædi, si a solitis laboribus cesset, quam Sellularium artificem, si Bajuli labores subeat? At attente consideranti haud minus patet idem evenire, ubi de consuetudine internorum, & involuntariorum agatur. Cibo plurimo assuetus minus sibi malum, immo fortasse nullum, creabit, si ab ingluvie temperet, quam si frugi & temperans plurimo se se oneret cibo.

XLI. Cæterum de vi consuetudinis plura, & admiranda traduntur. Inter alia litteris proditum est, homines venenis quoque ita paulatim assuevisse, ut cum se tandem veneno conficere voluerint, id frustra ab iis tentatum sit. Animum ipse induco, venenorum Doctrinam, Praximque, Medicos latere, neque iis, præter soporifera & rodentia venena (de illis loquendo, quæ execranda maleficorum hominum opera adhiberi possunt) alia nota esse. Quod soporiferis homines paulatim ita assuescere possint, ut impune tandem

dem eam quantitatem veneni hauriant, quæ ſine conſuetudine prævia, illis necandis ſatis foret; præter ea, quæ habemus de uſu Opii apud Turcas, atque illa, quæ in hiſtoriis medicis proſtant; ex mea Praxi ipſe didici. Verum rodenti veneno animalium fibras ita aſſueſcere poſſe, ut tandem vim, roſionemque non ſentiant; tunc ipſe credam, cum mihi conſtiterit conſuetudine poſſe præſtari, ne ignis admotus comburat, deſtruatque, neve cultelli acies adacta ſecet. Quæ, dum adhibentur, ea quibus adhibentur, deſtruunt; profecto adhibentibus conſueta fieri neutiquam poſſunt. Sed ad argumentum noſtrum revertamur, illudque tandem aliquando claudamus.

XLII. Peracuto morbo quiſpiam ægrotet, eo, nempe, qui circa ſeptimum judicandus eſt. Ratione morbi, ex veterum ſententia, in ſolo Ptiſanæ cremore continendus ille eſt. Vires morbo ſuſtinendo neceſſariæ in eo ſatis firmæ, cibum pleniorem nequaquam deſiderant. Aſſuetus tamen ſanitatis tempore cibo plurimo, plurimumque alimentitio illius ventriculus ſaturari, tam tenuiter cibatus aliquid moleſti patitur. Ventriculi porro paſſiones in acutis morbis officere ægrotanti ſolent, utpote quæ, ex Practica obſervatione, & humoris morboſi coctionem, & motus ad cutem ſalubres impediunt, & turbant. Huic igitur incommodo occurrendum eſt, & conſuetudini dandum. Sed quantum? Ex naturali Hippocratis (*a*) dialectica id inveniamus. Ajebat ille: *Ex duobus magnis, magna & quæ oriuntur exiſtunt*. In noſtro caſu, ſtant hinc morbus & vires, quæ ſimul cibi parcitatem neceſſa-

(*a*) 6. Epid. ſect. 4.

cessariam demonstrant: hinc sola consuetudo tam tenui cibo nequaquam contenta. Morbus & vires magna ambo sunt: magna ergo indicatio, quæ ab iis exoritur. Duobus hisce magnis sola opponitur consuetudo, atque illiusmodi, cujus vis minor est. Neque enim, quod gravius foret, contra consuetudinem aliquid ægro præstandum est; sed præter consuetudinem ab assueto opere cessandum ei est. Unum igitur consuetudo est, neque, magnum quid est. Minoris momenti, igitur, est indicatio, quæ ab hac exurgit, quam quæ nascitur a duobus, & magnis. Ubi ergo ex hisce indicationibus aliqua insuper habenda foret, minus profecto malum esset parvæ, quam magnæ non satisfacere. Sed utrique satisfaciendum, atque ita res temperanda, ut dum majorem adimplemus, minorem non omittamus; neque, dum minori satisfacimus, multum ab eo, quod major postulat, digrediamur. *Aliquid*, igitur, tantum, non *multum* consuetudini dandum; ne si multum ei demus, alteri majori indicationi officiamus; morbo scilicet, qui permittentibus viribus paucissima postulat, opitulemur. Revera Magnus magister nequaquam docuit consuetudini *plurimum* dandum esse, sed *aliquid* tantum; cum tamen morbo, morbi causæ, & viribus plurimum semper tribuendum docuerit. En ejus verba: *Dandum vero etiam aliquid est tempori, regioni, ætati, consuetudini* (*a*). Atque hæc, ni fallor, ostendunt, quantum ab Hippocratis mente ii aberrent, qui ratione consuetudinis, cui dandum aliquid ex Hippocrate est, plenius acute ægrotantes nostris diebus alendos esse docent; quoniam si etiam verum esset, quod falsum

 osten-

(*a*) 17. aphor. 1.

oſtendimus, frugalius, parciuſque ſuperiores nutriri conſueviſſe; nihilominus cum novæ conſuetudini aliquid ſolummodo, non multum tribuendum ſit; id nequaquam exigere poteſt, aut debet, ut qui, ratione morbi, extreme tenuiſſimo, aut ſimpliciter tenuiſſimo victu premendus eſſet, largiore, plenioreque nutriatur.

III.

ABrepta ab illorum manibus, qui ea abutentes, ægris adeo in victu indulgent, Hippocratica auctoritate, reliquum nobis nunc eſt, ut ſolidiora principia afferamus, atque explicemus, quibus febrientium diæta regi debeat. Agite igitur, rem aggrediamur, utiliſſimumque argumentum ſerio agitemus, atque in partes omnes illud verſemus, ut undecumque conſiderari poſſit.

II. Ex curatione ipſa nos edoceri, qualis fuerit morbus, Magni Hippocratis (*a*) monitum eſt: quod quamvis de peculiari morbo a nimio cibo inducto prolatum ab eo ſit, de morbis omnibus dici poſſe, & ratio, & obſervatio ipſa ſatis oſtendunt. Cum igitur videamus acutas febres, morboſque, qui paulatim non decidunt, ſive ſpontaneis tantum, ſive petitis evacuationibus ſolvi; neceſſaric dicendum eſt, eos a materia, quæ evacuanda erat, productos fuiſſe. Quidquid de morboſorum humorum vitio, tum a veteribus, tum a recentioribus dictum eſt, aut aperte falſum, aut dubium profecto eſt. Dixere veteres, ut de febribus, quæ noſtrum argumentum ſunt, loquamur,

(*a*) 17. aphor. 2.

mur, eas produci a putredine ſanguinis, bilis, pituitæ aut melancholiæ. Verum hoc humorum quaternarium ſanguinis detecto circuitu evanuit; & humorum putredo, quam cæteroquin Hippocrates in febribus nequaquam novit, niſi aliunde iis accedat, exulavit. Calor febrium cauſa formalis, ſeu, ut loqui amabant, febrium eſſentia putatus, pro ſolo febris effectu a ſanioribus habetur, idque cohærenter Hippocraticæ ſententiæ in libro de Priſca Medicina exaratæ. Caput extulit, neque infeliciter dominium in medicina tenuit acidum, quod pro origine, & fonte febrium habitum fuit; at ab obſervationibus, ab experimentis, a ratione fractum, atque e ſolio detruſum, vix fautores, amicoſque hodie nanciſcitur. Venere e Batavia diverſæ acrimoniarum ſpecies, Boerhaaviani ingenii hypotheſes, & filiæ, quibus tamen jugulandis, quaſi totidem arma, experimenta ejuſdem inſignis Viri in illius eximio Chemiæ opere præſto ſunt. Rationi magis, atque obſervationi reſpondere videntur lentor ſuccorum, ac denſitas, variique lentoris, ac denſitatis gradus. At præterquamquod gradus hoſce dimetiri, & diſtinguere ex iis eſt, quæ haud fieri poſſunt: præterquamquod omnia febrium phœnomena ab iis ducere Practici nequimus, aut neſcimus; haud raro ſanguinis extracti obſervatio rem dubiam plurimum facit. Indubium vero, conſtans, perpetuumque ab uſque medicinæ primordiis eſt, neque arte, neque ſponte febres, morboſque paulo acutiores curari, niſi per evacuationes; eoque, ſi verum eſt, curationem oſtendere, qualis fuerit morbus; in eo medicos omnes, vel ingratiis, conſentire

debere, morbos per evacuationes ſanatos, a materia, quæ evacuata eſt, cujuſcumque indolis, aut Naturæ ipſa fuerit, ortum traxiſſe. Neque obſtat, obviæ adeo obſervationi tam parum nos medicos attendere, ut de cauſa interna acutæ febris diſputantes, vix ad quantitatem, ſæpius ad qualitatem morboſæ materiæ reſpiciamus; quin, ubi evacuationes molimur, idipſum reſpectu ſolius qualitatis frequentius præſtemus; ſive, ut impedimenta tollantur, quæ illius correctionem impediunt; ſive, ut per evacuationem, novo inducto motu, per eum qualitas vitioſa emendetur. Fieri enim facile poteſt, ut Apologi Aſtrologum imitemur, qui dum remotiſſima Cœli ſumma cura luſtrabat, ſcrobem, quæ ante pedes ei erat, minime videbat. Propoſitam veritatem, & novit, & ſcriptam reliquit Galenus (*a*) *Magni ſiquidem morbi judicantur omnino, quicumque autem parvi, ſolvuntur ſolum*. Scilicet: magnæ ægritudines per evacuationes ſolummodo ſanantur; parvæ autem, ſine evacuatione, quæ oculis appareat, finiuntur. Ideo a meritiſſimo Martiano ſic animadverſum fuit: *morbus magnus ſimul, & acutus, abſque multitudine* (morboſæ ſcilicet materiei) *fieri non poteſt*. (*b*) Quod breviter, atque ſuccoſe a celebri quoque Heurnio (*c*) traditum eſt: *acuti morbi a materia auferenda fiunt*.

III. Propoſito principio objici poteſt ex Anglo Hippocrate Sydenhamio (*d*) *dari quaſdam febrium ſpecies, quas Natura methodo ſibi peculiari ſine viſibili aliqua evacuatione ablegat, reducendo, ſcilicet, in ſanguinis maſſam,* *ei-*

(*a*) 3. de criſib. c. 4.
(*b*) ſup. 36. acut.
(*c*) ad 5. aphor. 2.
(*d*) ſect. 5. c. 2.

eique assimilando materiam illam morbificam, quæ cum eodem minus quadrabat. Sed quicumque totum Sydenhamii locum perleget, næ videbit, febres, de quibus loquitur, ex iis ad amussim esse, quæ ex Galeno, & rei veritate, non judicantur, sed solvuntur, parvas nempe. Cum enim eximius vir præter Cerevisiæ tenuissimæ potum, & a cibo abstinentiam, nil aliud febribus iis pręstaret, permisso interim, & consueti exercitii, & auræ liberioris usu; ecquis non videt febres hasce pusillas admodum, tenuesque esse debuisse? Hujusmodi febres igitur non judicantur, ex Galeno, neque ex iis sunt, de quibus loquimur, sed solvuntur. Num vero solvantur, ut ait laudatus Auctor, eique cohærenter Boerhaavius doctissimus, (*a*) dubium cuipiam suboriri potest. Quispiam etenim forte putaverit, tunc potius insensilem transpirationem adauctam, vel sensibiles evacuationes paulo copiosiores factas, cui evacuationum augmento vix est qui attendat, febrienti salutem attulisse; non autem, quia materies morbosa sanguini assimilata fuerit, ideo ægros evasisse. Mihi perplacere haud negavero, quæ, licet Enthusiasta, habet Helmontius: (*b*) ait iste: *non enim Natura pila ludit, ut excrementa e vitæ commercio avulsa iterum in gratiam recipiat.* Quidquid in humano corpore a vitæ commercio avulsum est, ipse pro excremento habeo. Adeo autem febrilis materies a vitæ commercio avulsa est, ut vitæ & bellum, & mortem inferat.

IV. Objici quoque posset, febres acutas a causis, quæ evacuant, exhauriuntque aliquando fieri, in quibus

(*a*) 595. de cognosc. (*b*) Pleura furens.

bus adeo materies auferenda pro causa morbi habenda non est, ut dicendum sit potius, ideo tunc morbum exortum fuisse, quia necessaria sanitati conservandæ materia defecit. Res hæc longiorem disquisitionem desideraret; facile enim contingere potest, ut in existimatione causæ externæ febris decipiamur. Consideramus enim, quæ evacuantur solummodo; sed neque ad statum ęgri, qui evacuatur; neque ad excretiones, quæ, una aucta, supprimuntur, mentis oculos convertimus. Verum, quidquid hac de re sit, certissimum est, rarius ab exhaustu, atque inanitione morbos acutos contingere; ipseque toto tempore, quo Praxim assidue exercui, unicam acutam febrem, quam causæ exhaurientes induxerant, observavi. Ubi hoc acciderit, neque principio a me proposito, neque illationi ab eo principio ducendæ locus est. Ut in morbi curatione, victusque institutione tunc eundum sit, exemplo curationis a Galeno præstitæ vobis demonstrabo. Interim, quod frequentissimum est, ante corporis, mentisque oculos habentes, pro firmo, ratoque habere debemus, acutos morbos, febresque, ut plurimum a materia auferenda procedere, quia frequentius, & quotidie, pene dixerim, videmus, ægritudines hasce per evacuationes solummodo, aut per artem, aut a natura molitas sanari.

V. Hasce evacuationes, sive spontaneæ, sive petitæ fuerint, vitæ vires superstites, quæ vera natura sunt, movent. Ac de spontaneis loquendo, res per se adeo clara est, ut oculis pateat. Ad eas vero, quæ artis ope fiunt: cum medicamenta in cada-

ver

ver non agant, ad illorum actionem vita requiritur, quæ ſine viribus eſſe non poteſt. Sunt igitur vitæ vires, quæ a medico medicaminibus, quaſi totidem adjumentis adjutæ, morboſi humoris expulſionem moliuntur. Sed ne putetis, id a vitæ viribus eo facilius præſtari, quo validiores eæ ſunt. Cum morbus acutus nil aliud ſit, niſi materies auferenda cum impetu, & magna motus quantitate acta; quo magis vires valent, eo magis materies cum impetu movetur: quo autem majore impetu materies morboſa agitur, eo magis vitæ functiones a naturali recedunt: in magno autem a ſtatu naturali functionum receſſu, evacuationes ſymptomaticæ, utique; criticæ autem, & ſalubres fieri non queunt. Vires igitur in morbo acuto nequaquam augendæ, niſi ubi ſymptomata eas nimium peſſumdederint, quia viribus auctis magis motum intendimus; quo magis autem motus intenduntur, morbus acutior fit. Sed neque, quales in ægro invenimus, ſunt ſuſtinendæ. Si enim eædem ſuſtineantur, in gradu eodem morboſus motus ſuſtinetur: ſuſtentato autem in gradu eodem morboſo motu, morbus quoque acutiei gradum eumdem ſervat. Convellendæ igitur vires ſunt, ne vehementer morboſa materies agatur, non augendæ, neque intendendæ; cumque quantum ſatis eſt convulſæ fuerint, in eo ſtatu detinendæ, ut ſalubriter movere poſſint. At quouſque convellendæ ſint, illud eſt, quod diligentiorem conſiderationem deſiderat, quam nos ſuo loco præſtare conabimur. En igitur tria præcipua principia, quibus totus rei cardo innititur. Primum eſt, *febrem acutam a materia auferenda fieri*: alterum. *febrem acutam eſſe*

mate-

materiam auferendam cum magno impetu actam: Tertium tandem, *ut materies auferenda salubriter auferatur, vires quidem esse aliquousque minuendas, sed non prosternendas*.

VI. Ex positis principiis fluit, neque plurimos cibos, neque qui plurimum substantiæ alimentitiæ sanguini infundunt, neque qui plurimum actuosę materię illi inferunt, acute febrienti conducibiles fore. Non plurimos, quia morbus detractionem, non additionem poscit. Non plurimum alentes, quia magnam resistentiam, ac laborem viribus objiciunt, & parant, eoque eas magis lędunt, quam juvant. Tandem, non qui plurimum actuosę substantię sanguini addunt, quia tunc motus ex leges, qui in febre acuta sedari debent, concitantur, intenduntur que.

VII. Dixi cibos plurimum alentes, resistentiam, ac laborem vitę viribus objicere. Id cum primis docemur a Celso: (*a*) *quo valentior quæque materia est, eo difficilius coquitur*. Sed parum foret id a Celso scriptum fuisse, nisi magni Sanctorii statera, & quidem clariss. Gorter, qui eum satis acriter excutere solet, minime dissentiente, idem nobis confirmasset. *Cibus multi nutrimenti* (ait Sanctorius) *stringit alvum, nisi corrumpatur, difficile coquitur, & parum perspirat* (*b*). Ex Hippocrate (*c*) autem, *alimentum, quod ægre commutatur, ægre consumitur*. Porro quod ęgre consumitur, ęgre quoque subigitur; quod vero subactioni, & assimilationi resistit, viribus quoque subigentibus, & assimilantibus resistit. Sed quo major est resistentia viribus objecta, eo major est virium labor; ac quo major illarum labor, eo major earumdem consumptio. Nos autem

(*a*) l. 2. c. 18. (*b*) de cibo & pot. aphor. 18. (*c*) de aliment. tex. 10.

autem in morbo acuto imminutas quidem vires volumus; consumptas, prostratasque nolumus. Cibi ergo plurimum alentes, quia vires non juvant, sed iis officiunt, alieniores acutę ęgritudini sunt. Nunc nobis inquirendum est, num jura consumata, succi e carnibus expressi, ac restaurantia, sic dicta, hujusmodi sint, quæque proinde a principiis propositis respuantur. Quod dum præstamus, colligere poteritis, veteres sola observatione duce; ut ut sibi viderentur rationem quoque sequi; victum animalem ab acutis febribus, morbisque excludendo eo pervenisse, quo ratio solidior a Chemicis adjuta experimentis nos perducit, quamvis temporum vitio, ibi, quo perducti sumus, minime consistamus.

VIII. Animalem victum alimentitia substantia præ vegetabili abundare, & medicorum auctoritas, & hominum Praxis satis significant. Tum a veteribus, tum a recentioribus Medicis unanimiter creditum est, id, quod e cibis alit, esse succum, seu substantiam glutinosam, gelatinosamque; adeo ut ille cibus magis alat, qui hoc gelatinoso succo magis abundat. Hac gelatina igitur, si vegetantia carent, abundant autem animalia; non modo, auctoritas, atque usus; sed ratio quoque certiores nos reddet, uberiorem ex animalibus, quam e plantis alimoniam nobis suppetere. Clariss. Gallus Geoffroy, ut est in monumentis R. S. A. quæ Parisiis est (*a*) inquirere voluit, quę e carnibus in humanum victum cedentibus, hoc alimentoso glutine magis abundarent. Nos ex iis, quas ille Chemice examinavit, sumemus solummodo Bubulam;

K Vitu-

(*a*) ad an. 1730.

Vitulinam, Vervecinam, & carnem pulli, quoniam hiſce frequentius in ægrotantium victu utimur. Quatuor igitur unciæ Bovinæ carnis, dedere extracti, ſubſtantiæ nempe gelatinoſæ, quam quærimus, drachmam plus granis quinquaginta ſex. Unciæ quatuor Vitulinæ, dedere extracti drachmas binas plus granis triginta. Vervecina ad idem pondus, drachmas duas plus granis quinquaginta octo extracti exhibuit. Quod ad pullum autem, adhibuit hujus carnem, & oſſa ſimul pendentia uncias novem cum ſemiſſe, plus granis quadraginta octo, atque ex hiſce habuit extracti drachmas ſeptem, plus granis triginta ſex. Ut comparatio horum extractorum facilius fieri poſſit, pulli carnem reducamus ad medietatem ponderis ab Geoffroy adhibiti, ſcilicet ad uncias quatuor, plus drachmis ſex, & granis viginti quatuor. Dabit hæc extracti drachmas tres cum ſemiſſe, plus granis duodeviginti. Ex hiſce apparet, omnibus hiſce carnibus, quibus ad ægrotantes utimur, ſuccum gelatinoſum plurimum alentem ineſſe: plus pullo, quam Verveci: plus Verveci, quam Vitulo: plus Vitulo, quam Bovi. Cerealia ſemina iſte nequaquam examinavit: laus hæc noſtrum Italum Bononienſem manet.

IX. Clariſſ. Jacobus Bartholomæus Beccarius Publ. Bonon. Profeſſ., quo in viro neſcias, num morum ſuavitas, quæ in eo ſumma eſt, an medicarum, phyſicarumque rerum ſcientia major; varias ſeminum Cerealium farinas examinavit, atque in ſola Triticea gelatinoſam, glutinoſamque partem invenit. Hæc autem Triticea Glutinoſa pars, periculo facto; digeſtione ſcilicet; cum acidis miſcella, ac diſtillatione ipſa;

psa; tantam animalis substantiæ speciem præsetulit, ut (rem verbis doctissimi, elegantissimique Scriptoris Commentariorum Instituti Bononiensis (a) dicam) *qui illam nesciat e frumento esse eductam, animalem esse sine ulla dubitatione facile asseveret*. Sed hic obiter adnotetis velim, ut huic experimento respondeant, quæ docuit Hippocrates de vi Tritici plurimum alimentitia. Secundo de diæta, textu septimo scripsit: *Triticum fortius est hordeo, & magis nutrit*. Textu quadragesimo secundo libri *de affectionibus*, vocat alicam, & Ptisanam triticeam, sorbitiones fortiores. Textu quinquagesimo secundo ejusdem libri, panem inter alimenta primo loco recenset, quæ ad augmentum, & robur faciunt. Ac sexto Epidem. sectione tertia, ad Eusarciam minuendam præcepta tradens, inter alia docet, pane modico utendum esse. Inter diversa vero Tritici genera similam, quam esse nostrum Patavinum Triticum ex ore celeberrimi nostri Pontederæ, nimis cito nobis erepti, habui, fortiorem reliquis & magis alentem scripsit (b). Nonne mirari subit, aut eum, aut illius superiores Medicos, rem cognitu difficillimam (observatio enim in sanis instituenda est, qui solo pane haudquaquam vescuntur) solius Practicæ observationis ope, quæ in casu oppido æquivoca non esse non potest, acu, ut dicitur, tangere potuisse? Id sane confirmat, quod a Plinio animadversum, traditumque est (c). *Rudis fuit Priscorum vita, atque sine litteris. Non minus tamen ingeniosam fuisse in illis observationem apparebit, quam nunc esse rationem*. Sed e diverticulo in viam.

(a) T. 2. P.I. Instit. Bonon. (b) de diæt. tex. 7. 8. (c) H.N. l.18.c.29.

X. Beccarius itaque, si Triticum dematis, reliquis in frugibus substantiam hanc gelatinosam, quæ plurimum alimentitia putatur, nequaquam invenit. Ergo si quo plus alimentitiæ substantiæ alicui cibo inest, eo magis, ex iis quæ supra diximus, viribus vitæ substantiam eam subacturis resistit: quo autem plus resistit, eo alienior acute ęgrotanti est; necessario consequitur, victum animalem, quique animalem indolem, naturamque sapit, acute ægrotanti minus conducibilem fore. Ergo omni jure ab Hippocrate, atque ab Hippocraticis viris a victu acutorum animales cibi, atque e Tritico parati exclusi fuere.

XI. Quod si, quia valentioris substantiæ sunt cibi animales, acutis febribus alieni sunt; multo alieniores erunt, quo plus substantia hæc valentior, meraca, impermista, atque a reliquis, quæ illam contemperent, discreta fuerit. Præter non paucas activiores moleculas, de quibus mox, plurimum aquæ examinatis a Geoffroy carnibus inest, ac non parum fibrarum exsuccarum, quæ ignis vi violentiore agitatæ alia decomposita dant, ac tandem caput mortuum relinquunt. Hæc omnia in carnis composito mista, & confusa, invicem se se corrigunt, hebetantque; discreta vero, facultates, quibus pollent, vehementer exerunt. Ita vini spiritus, qui etiam reliquis vini partibus mistus, iisque invalidior factus hominem inebriat; multo magis idem præstabit, & præstat, ubi per distillationem ab aliis diditus, atque secretus ebibatur. Porro, quod distillatio vini spiritui dat, idem longior decoctio, aut expressio carnibus tribuit. Solus etenim succus expressione prolicitur: longa autem

tem

tem coctione, totum quantum eſt, illius gelatinoſum extractum habetur. Subſtantia itaque alens, quæ reliquis etiam immiſta acutæ febri non convenit, hiſce operationibus meracior facta, atque, ex dictis, quo meracior, eo noxior, minus conveniet.

XII. Diximus, nequaquam cibum illum acuto morbo convenire, qui motum in humoribus, quo feruntur, auget. Si igitur vis iſta ſanguinem fortius agendi conſumptis juribus, atque extractis reſtaurantibus inſit, nemo ſane, qui ratione uti velit, aſſerere poterit, ea acuto morbo conducere. Quid enim ineptius, ne dicam ſtultius, fieri poſſet, quam ſi dum Medicus Pharmaceuticis, Chirurgiciſque auxiliis, manibus, pedibuſque, ut ita dicam, facit, ut impetus, quo fertur morbus, retundatur; Diæteticis interim impetum eumdem exuſcitaret, concitaretque? At valentior, de qua loquimur, alimonia id præſtat; iis etenim principiis ſcatet, quæ urgent, quæ irritant, quæ calefaciunt, quæ agitant.

XIII. Laudatus Geoffroy ex drachma plus granis quadraginta ſex extracti, quod e quatuor unciis Bovinæ carnis habuit, prolicuit drachmam, & grana duo ſalis volatilis, inſuperque grana triginta octo ſpiritus, atque olei. Caput mortuum ſex ſolummodo grana pondere æquavit, ac grana decem, quæ evolavere, activioribus, volatilioribuſque partibus addenda ſunt. Ex propoſita igitur quantitate extracti, præter grana ſex, totum volatile, activiſſimumque fuit. Ex drachmis duabus extracti Vitulini plus grani triginta, drachmam, & duodecim grana eduxit ſalis volatilis, olei, & ſpiritus. Pars iners, inutiliſ-

que

que drachmam ponderavit : grana duodeviginti evolavere ſubtilioribus, & iſta addenda. Binæ drachmæ plus granis quinquaginta octo extracti Vervecini, drachmam unam ſalis volatilis, atque alteram ſpiritus, oleique dedere. Capitis mortui pondus fuit granorum quinquaginta quatuor: amiſſum, ideoque volatile, grana quatuor. Drachmæ tandem tres cum ſemiſſe, inſuperque grana vigintiquatuor extracti e pullo, proportione ſervata ad pondus, quod Geoffroy examini ſubjecit; exhibere debuerunt ſpiritus, oleique cum phlegmate drachmas duas, ac grana ſeptem cum dimidio; nec non ſalis volatilis, atque olei (binis enim diſtillationibus analyſin hanc exegit) grana viginti novem. Carbo, ſeu caput mortuum drachmas duas, & grana viginti; amiſſum autem volatilioribus adjiciendum, grana ſeptem plus dimidio æquare debuit. Ex hiſce facile perſpicere eſt, ut major horum extractorum pars in activioribus moleculis, impetumque facientibus conſiſtat. Salia volatilia ad grana ſolummodo a Medicis præſcribuntur: dum reſtaurantia ægris præſcribunt, inſcii, aliudque omnino ſe præſtare putantes, eadem ad drachmas plures dant. Animadvertite, ſtudioſi Juvenes, ex relatis Clar. Galli analyſibus conſtare, ſubſtantiæ volatilis copioſiorem vim in Bubula, quam in Vitulina, contineri; quod congruit iis quoque, quæ alter Gallus Clar. Lemery (*a*) tradidit. Scitote quoque ab Geoffroy obſervatum firmius, conſiſtentiuſque extractum e Vitulina, quam e Bubula haberi; quod obſervationi noſtrorum Italorum Beccarii, & Montii reſpon-

det

(*a*) Trait. des alim. T. 2. cap. 3.

det (*a*). Id adnotasse, ex usu vobis aliquando in Praxi esse poterit.

XIV. Sed, ut quæ sentio ingenue fatear, videmus utique ægros a restaurantibus, a consumptis juribus, a carnium succis assumptis, & aliquanto intensius calere, & coloratiores fieri; eas tamen turbas, tumultusque, qui tantam volatilium, spirituosorumque vim sumptam consequi deberent, nequaquam videmus. Scitis unde hoc? In memoriam revocate, quę ex Celso, & Sanctorio supra diximus: valentioris, scilicet, substantię cibos haud facile coqui, digeri, atque in chylum converti. Cogitate insuper, vehementiore ignis Chemici vi opus esse, ut volatilia isthęc ab invicem extricentur, atque evolent. Activiora igitur ex iis, quę facili nexu reliquis cohęrent, atque implicantur, a solo stomachi calore exaltata, sanguinem ingrediuntur, ingressaque illius quidem motum concitant, sed non ad eum gradum, ad quem illum concitarent, si universa, quę restaurans, seu extractum sumptum continet, venas subirent. Quę igitur venas ingressa sunt, quod suę facultatis est, exerunt: vires noxie augent, utque sanguis in motum aliquanto citatiorem rapiatur, efficiunt. Atque hinc & calor, & color. Quę vero in stomacho immota resident (neque enim stomachi calor is est, qui gradum Chemici ignis, ad illa extricanda, sursumque rapienda necessarii ęquet) ei oneri, & incommodo sunt. Ex Helmontio, qui amplissimum sibi arrogavit privilegium, tum in medicina, tum in latino sermone nova cudendi nomina, *Cadaverantur*; ex laudato autem meritissimo

(*a*) T. 2. p. 1. Inst. Bonon.

ſimo Sanctorio, aut alvum duriorem faciunt, aut corrupta, plus æquo teneriorem reddunt. Quantum autem utrumque acute febricitantibus obſit, tunc planiſſime perſpicietis, cum iis medebimini.

XV. Non negandum, eos in acutis morbis caſus Clinicis aliquando offerri, qui promptiſſima virium excitatione, aut inſtauratione egent; quapropter illis, activioribus, & volatilibus, quæ cito per vaſcula inhalantia, aut ſi vultis, per membranarum poros in venas eant, ſuccurrendum eſt. At iſti infrequentiores ſunt, quam putatur, neque auxilia ea, quæ non ſolum tempore, ſed ventriculi quoque viribus egent, ut operentur, iis apta ſunt. Præterea vires eæ, quas tunc, ut tempori, & neceſſitati obediamus, ſufficimus, tumultuoſæ, ac prope dixerim, ſeditioſæ, brevioris temporis, fugaceſque ſunt. Quas tamquam curationis baſim, fundamentumque ſuſtinere debemus, hujuſmodi non ſunt, ſed moderatiores, conſiſtentioreſque; de quibus abs re haud erit, ut pauca dicamus. Ita ciborum, quæ reprobamus, inutilitas, & nocumentum magis ſemper, magiſque apparebit.

XVI. Tria cibus ſumptus animali præcipua præſtat. Cum primis, fluidorum conſumptorum, deperditorumque quantitatem reſarcit: ſecundo, vires imminutas reſtaurat: tertio tandem in locum molecularum, quæ per vitæ functiones a ſolidis partibus detritæ, ac veluti abraſę, ablatæque ſunt, novas ſolidas particulas apponit, ſicque neceſſariam ſolidorum robori, & reſiſtentiæ ſubſtantiam reſtituit. Si forte nova, & ſcitu jucunda ſcire avetis circa nutritionis materiam, & rationem, qua fit, adite oculatiſſimi Buffon obſervationes *micro-*

ſcopi-

ſcopicas, ſuperque iis extructum ſiſtema. Primum ciborum opus aliquando eſt, non jam fluida reſtituere, ſed vires inſtaurare, & augere. Id ea alimonia præſtat, quæ ſpiritu, & ſale volatili turgida eſt. Tunc a ſolo oris & ventriculi calore activiſſimæ volatiles moleculæ exaltatæ, atque a reliquis craſſioribus explicitæ; non per Regiam Chyli longiorem viam; ſed volatu citiſſimo per membranarum intermediarum poros, & inhalantia vaſcula, animalis intima penetralia ſubeunt, & virium materia fiunt. Aliquando forte particulæ iſtæ vires non augent, ſed acuunt, ratione ſtimuli modo agentes; per quem vires, quæ jam animali inſunt, majorem in motum cientur, ſicque majore momento organa operantia, & operatura afficiunt. At vires iſtæ, atque iſta virium intenſio fluxa, & brevioris durationis eſſe ſolet. Ut cito venit, ſic cito abit. Hujuſce rei certiſſimum nobis præbet argumentum vis a vinoſo potu acquiſita. Ubi etenim quis mero parumper incaluit, ac

. . . . *Vini vis penetravit*
Acris, & in venas diſceſſit diditus ardor.

ſe ſolito lætiorem, loquaciorem, robuſtioremque ſentit. At commoda iſthæc fugacia ſunt, tamdiuque durant, quamdiu vinum nobiſcum ſtat. Si enim ebrii non ſumus; quo in caſu ob vaſorum tumentium in cerebrum auctas, aut inæquales preſſiones contraria eveniunt; ſed non ultra lætitiæ poculum ebibimus; vinum digeſtum cito conſumitur, & cum allatis commodis cito abit. Vires conſiſtentiores ſtabilioreſque eæ ſunt, quas ſanguis a cibo reſtitutus, tum elaboratus, animali ſuppetit: quas, ſcilicet, vitæ vim diu-

tius perpessus: a supervacuis, brutisque, quæ vitalem characterem minime assumpserunt, liber, cum pluribus vitalibus liquoribus intime mistus: per viscerum mæandros sæpius trajectus; ac tandem per exillimos tubulos fluens in cerebro deponit, per nervos ad irradiandas partes lapsuras, & descensuras.

XVII. Ea igitur alimenta, eæque alimentorum partes vires hasce sufficiunt, quæ cum primis manifesta qualibet acrimonia carent; quæ nimium exaltatæ non sunt; quæque dulci, blandaque substantia, neque immodica, donatæ, facile subigi possunt, atque in bonum sanguinem converti. Cibaria isthæc ideo vires constantiores subministrant, quia consumptis liquidis suppetias veniunt, qui primus illorum effectus est. Effectus autem iste quantitati sumptæ alimoniæ respondet; adeo ut si plurima hausta sit, sanguis copiosior, si pauca, minus copiosus gignatur. Porro acute ægrotanti eam sanguinis quantitatem sufficiendam esse, quam sanus habebat, nemo sui compos docebit; quoniam eam, quilibet ex hodiernis Medicis, data opera, & per artem minuendam censet. Liquorum igitur quantitas acute ægrotanti aliquousque minuenda est, & ex ea vires, quæ firmiores, consistentioresque sint, quamvis non multæ, ægrotanti parandæ, quod neque copiosam, neque valentiorem, neque volatiliorem, activioremque alimoniam desiderat.

XVIII. Postremus cibi assumpti effectus ex recensitis, est, solidorum deperditorum restauratio. Id in acuto morbo curandum nequaquam est; quique acute ægrotanti medicinam faciens solida illius eo in statu, quo, dum sanus homo erat, potiebantur, sustinere inten-

ten-

tenderet; eum, non modo doctrinis medicis; ſed communi ſenſu carere dicendum foret. Cum igitur ſolidorum nutritioni ſtudere Medicus tunc minime debeat; neque eo cibo ægrum alere debet, qui ſolidorum nutritioni ex una parte plurimum favet; ex altera vero, ob alias allatas rationes minime convenit. Talis eſt cibus ex animalium carnibus. Præterquam enim quod horum ſubſtantia noſtræ perſimilis, fibris noſtris reparandis aptiſſima videtur; inter ea, quæ ad augmentum, & ad robur faciunt (augmentum autem copioſiorem nutritionem ſupponit) ex Hippocratis monito (*a*) maxime valet: quod de aliis negando, de iſtis affirmavit: *Cibaria, & potus, & obſonia, excepto pane, & maza, & carnibus, & piſcibus, & vino, & aqua, reliqua omnia tenues, ac debiles utilitates exhibent ad augmentum, & ad robur, & ad ſanitatem*. Quod ſi animalium carnes non conveniunt acute febricitanti, quia nimium opimæ ſubſtantiæ ſunt; multo minus opimiora ex eodem genere, & alimentoſiora conducent. Hujuſmodi autem ſunt jura conſumpta, expreſſi carnium ſucci, reſtaurantia ſic dicta, quorum paucis unciis ea alimenti vis, & potentia continetur, quam ejuſdem carnis, unde extracta ſunt, libræ continebant.

XIX. Quod ſi poſtremo huic ciborum effectui in acutorum curatione nequaquam attendendum eſt; eximia alia utilitas, quæ a cibo apto in febre acuta venit, medico ante oculos habenda, Egregii Juvenes, eſt. Motus vehementior, quo in acuta febre rapitur cruor: calor motus hujuſce comes, mobilio-

L 2 res,

(*a*) de affect. tex. 52.

res, ſolutu, exhalatuque faciliores particulas ab eo pellit. Sicceſcit hinc ſanguis, illiuſque particulæ, & denſiores, & duriores fiunt. Sola jugis motus mechanica vis, ab illis viſcidulam, blandulam, gelatinoſam ſubſtantiam, quæ Balſamica vulgo dicitur, abradit: oleoſa ita diſſolvuntur: horum cum terreis, duriſque unitas fit; atque ex hiſce in unum coactis concrementa exurgunt vix ſolubilia, craſſiora, duriora, irritantia, quæ univerſam corporis œconomiam magis uſque, magiſque depravant. Ubi ſanguini partes iſtæ gelatinoſæ ſuffectæ non fuerint, tantam acrimoniam acquirit; ut ab aſperiore ſuarum molecularum in ſolida attritu, hæc omnia vehementer rubeſcant, inflammenturque; & animal, ſi etiam febre careat, & commoda valetudine gaudeat, in rabiem agatur. Quorum primum in brutis fame, conſulto, enectis; alterum autem in hominibus jejunio, plures dies, maceratis obſervatum eſt. Quanto facilius id, motu acutæ febris urgente, & omnia depaſcente contingeret? Occurrendum igitur eſt huic maximo malo, atque operi neceſſario aqua plurimum epota utiliſſima eſt; quæ etſi gelatinoſas, quæ depereunt, ſubſtantias, minime reſtitueret; nihilominus quia calorem compeſcit; & ſuæ ſubſtantiæ miſtione aqueum quod perit, reparat; & oleoſorum extenuationem, diſſolutionemque coercet; & terrea, ac ſalina, quæ ab ea liquari poſſunt, liquat; ac liquata ſuo ſinu, ut ita dicam, comprehendit, & ſecum vehit. At ſola aqua omnes acute ægrotantes ſuſtineri non poſſunt, & cibus dandus illis eſt. Cibus autem non alius eſſe poteſt niſi blandus, & mollis, qui motus non concitet, quique facillime ſubigatur, ut

pere-

pereuntia, & quæ perierunt cito restituat. Cum autem, ex supra positis, jura consumata, succi carnium expressi, restaurantia talia non sint; utilissimo operi in acutis præstando, nequaquam conducent.

XX. Post hæc generatim de cibis acutis febribus tam incongruis dicta, singillatim de iisdem pauca dicamus. Jura igitur consumata, ut ab iis incipiamus, quæ ex majore volumine, calore foci, in arctius contrahuntur, subtiliora, volatiliora, ac mobiliora, quæ iis insunt, deperdunt; remanet vero ex iis, quod lentius, crassiusque est. Sed, acute febricitans male fert, quæ difficulter coquuntur, & subiguntur; neque, vel ex eorum sententia, qui plenioris victus fautores sunt, valentiore materia, quæque plurimum digesta nutriat, opus habet. Vel iis eget, quæ vires prostratas erigant; vel quæ facile, & cito fluida consumpta restaurent. Neutrum porro ab hisce juribus præstari potest. Non postremum; quia quo valentior quæque materia est, minus facile coquitur ex iis, quæ supra posita sunt; ac quo difficilius coquitur, eo tardius in chylum, sanguinemque convertitur. Non primum; quia mobiliora, & volatiliora, quorum est illud præstare, longiore decoctione jam evolaverunt. Adeo autem apertum est hujusmodi particulas per ignis vim evolare, ut id sensibus ipsis pateat in eo odore, qui dum carnes coquuntur, neque vasa quibus incoquuntur exacte clausa sunt, exhalat. Jura igitur hæc consumata sunt totidem (liceat mihi sic loqui) damnata, & mortua capita, quæ solummodo ventriculo onus, liquidis vero circumeuntibus, si ea ingrediantur, viscositatem, atque lentorem afferre pos-

possunt. Quid, quod jura isthæc, quamvis minime salita, sapida ebulliendo fiunt, & quandoque; nisi aquæ superaffusione id præveniatur; salsiora evadunt? Quod noto, non quia salis usum in ægrotantibus ipse damnem; sed ut significem vim ignis in illa tantum egisse, ut quæ salem in illis delitescentem obtundebant, ac ne manifestaretur efficiebant, in fumum & auras abire coegerit. Sed ne putetis me sine auctore asseruisse, eos etiam, qui victum pleniorem magis tutum acute ægrotantibus putant, validioris nutrimenti materiam reprobare. Fernelius, vir jure magni nominis, & sui temporis Medicus nobilissimus, felicissimusque, deceptus tamen a quinti aphorismi, quem explicavimus, apparente sensu; ubi de ratione agit nutriendi febricitantes, ait: *omnis autem febricitantium victus humidus, frigidusque habendus est ex materia levi* (*a*).

XXI. Viderint nunc moniales, apud quas mos obtinet (ita saltem apud eas comperi, quibus medicinam facere mihi datum fuit) statim a prandio panatellas parare, ignique admovere, quas post multas ebullitionis horas in seram noctem suis ægris porrigere debent: viderint, inquam, ut infirmarum rem agant. Non modo e jure, sed e pane quoque juri addito, diutino adeo calore, tantaque, licet leni, ebullitione, quidquid utilius est exhalat. Quod si juri ab assidua ebullitione superstiti jus novum, idque iterato, addant, ut solet; nil aliud proficiunt, nisi ut ex crassa, crassiorem alimoniam infirmis parent. Sin aquam superaffundunt; eo tandem progrediuntur (quod

(*a*) method. gener. curand. febr. c. 11.

(quod tamen in morbis acutis non inutile eſt), ut imbecillioris ſubſtantiæ cibum conſtituant.

XXII. Sed ſubdet quiſpiam: incommodo evolationis ſubtiliorum, mobiliorumque e reſtrictis juribus partium, occurri poſſe machina, ſeu digeſtore Papiniano, de quo in Actis Lipſienſibus (*a*). De decoctis eo opificio paratis, non habeo quid dicam; nondum etenim illiuſmodi decocta vidi, aut guſtavi. At Præclarus Van-Svieten (*b*) ait, decocta carnium ad eum modum parata, ſaponaceum, ſatiſque nauſeoſum odorem habere, dum pingue carnibus ſemper adhærens, ignis, & aquæ validiſſima actione in vaſe exactiſſime clauſo ſic attenuatur, ut aquæ intime miſceatur. Addit præterea, hæc juſcula nimis meraca eſſe, & dilutione indigere.

XXIII. Supra poſuimus carnium extracta, ſeu reſtaurantia, non modo acute febrientibus non convenire, quia valentioris ſubſtantiæ ſunt; ſed etiam, quia ex Geoffroy, cum mere volatilibus conſtent; impetum, motumque ſanguinis, ſi ad eum perveniant, intendunt. Aliis quoque de cauſis aliena illis ægrotantibus ſunt. Laudatus Fernelius, ut ut victus plenioris amantior, hanc de hiſce eduliis ſententiam tulit: *Quæcumque autem craſſiuſculæ ſunt materiæ, ut ea ipſa aſſa* (loquutus fuerat de hædinis, vituliniſque carnibus) *& perdices, aviculæ montanæ, lepuſculi aſſi; & aſſorum quorumvis expreſſus ſuccus, aut qui elicitur e carne in diplomate ſine aqua elixa* (qui rem Pharmaceuticam tractant, diploma, ſeu vas duplex dicunt, cum, quod materiam coquendam continet, in altero vaſe aqua

(*a*) ad annum 1682. (*b*) ad Boerh. §. 28. aphor.

aqua fervente pleno, ebullit) *quod nimium alant, ægre coquantur, æstumque in præcordiis excitent, non in acriter febricitantium, sed in sanorum cibis numerantur* (*a*).

XXIV. Præter igitur ea, quæ, ut hujusmodi cibaria reprobaremus, adduximus, alia quoque de causa ex Fernelio reprobanda sunt; quia, scilicet, æstum in Præcordiis inducunt. Verum enim vero, quoniam verba Fernelii illud mihi suggerunt, alterum argumentum accipite, quo alieniora febrientibus esse isthæc cibaria noscatis. Dixit Fernelius ea in sanorum cibis numerari. Huic asserto ipse subdam: quod si non alia argumenta ad ea damnanda suppeterent, ideo præcipue febrientibus noxia censenda forent, quia sanis conveniunt. Propositio est Hippocratis (*b*): *Quæcumque sanis commoda sunt, ea etiam ægrotis exhibita fortiora sunt, & oportet, detracto ipsorum vigore, dare ea; alioquin non feret ipsa corpus, sed magis lædunt, quam prosunt*. Videte ut Hippocratica observatio & sententia iis ad amussim quadret, quæ nos de facultate nimium alimentitia viribus inimica tradidimus. Cum sanorum cibi fortiores sint, alimento nempe plurimo scateant; hoc, quia plurimum, plurimam resistentiam viribus, & extra, & intra animal, uti ajebat Pitcarnius; in viis, scilicet, & extra circulationis vias, illud elaboraturis, & subacturis objicit: potentiæ autem istæ in ægro invalidiores sunt: ergo objectæ resistentiæ pares nequaquam erunt. Imperfectior itaque & Chylificatio, & assimilatio fiet: ex chylo non bene assimilato, necessario sanguis crassior, vitiosiorque gignetur; qui propterea tantum aberit, ut virium, & boni cruoris

(*a*) loc. cit. (*b*) de affect. text. 12.

ris materia fiat, ut potius nova morbosa materies futurus sit, quæ ægritudini suppetias ferat, eamque foveat, & geminet, quemadmodum adnotatum fuit ab Hippocrate: *sed magis lædunt, quam prosunt*. Atque ob id potissimum alibi (*a*) ajebat magnus magister: *impura corpora, quanto magis nutries, tanto magis lædes*. Itemque: *cibus sicuti sano robur, ita febricitanti morbus* (*b*). Non igitur ea cibaria, quæ sanis commoda sunt, ægris conveniunt; quin ideo præcipue ægris nequaquam conveniunt, quia sanis commoda sunt. Cujusmodi cum sint jura restricta, restaurantia, expressa, carnes contusæ: isthæc acute febrientibus omnino aliena esse dicendum est.

XXV. Carnes sanis apta alimonia sunt: non ergo, quia fortior, febrientibus, ex Hippocrate, danda, nisi illius vigore detracto. Dum carnium expressos succos ægris exhibemus, illarum vigorem non minuimus, sed augemus: eo magis itaque contra Hippocratis observata, & præcepta peccamus. De conscissis autem carnibus, quid dicendum? Res profecto admiratione, ne risu dicam, mihi semper digna visa est. Fatentur, carnes acute febrienti minime convenire, neque eas dant; eas tamen conscissas prębent. Num cultellus, quo minutim tunduntur, ab iis demit, quod ęgro alienum erat, vel iis addit, quod ęgrotanti commodum? Num ideo tantum ęgris non conducunt, quia integrę, & non conscissę aliquid laboris dentibus, maxillisque pariunt? Num quia putant, conscissas facilius, quam commansas, a ventriculo digeri? Ad eum modum agere mihi videntur, atque illi, qui

M ver-

(*a*) 10. aphor. 2. (b) 67. aphor. 1.

verborum perquisitis subtilioribus interpretationibus, atque effugiis, leges, earumque vim deludere tentant. Carnes non dant, quia cibus actu humidus, nempe fluidus, febricitantibus, ex Hippocrate (*a*) præcipue, convenit. Juribus, aut panatellis minutim conscissas miscendo, ad Hippocratis mentem se conducibilem cibum parasse rentur.

XXVI. Neque minorem admirationem meretur usus, qui adhuc apud quosdam obtinet, dandi ægris in potum stillatitia analeptica e pullis, aut capponibus, quod Arabum inventum fuit, ut audiistis. Admirationem, inquam, meretur, in hodierna rerum Chemicarum luce, crassas adeo inter tenebras quosdam velle versari. Sciatis, hujusmodi stillatitia, nullius omnino utilitatis, aut commodi esse. Celeberrimus Boerhaavius, harum rerum, si quis alius, optimus judex ait (*b*) vires analepticas, per distillationem aquæ nequaquam communicari, deridetque nauseosam aquam Capponis stillatitiam. Meritissimus quoque Nuperus Charteuser in sua Pharmacologia rem eamdem non unica vice monet.

XXVII. Quoniam autem in acutis morbis, ovis quoque pullorum quidam facile abutuntur, cum tamen iis non uterentur veteres, nisi in acutis ex decidentia, quibus plenus convenit victus; abs re haud fore arbitror de iis pauca dicere. Celsus docuit (*c*) mollia, & sorbilia imbecillissimæ materiæ esse (intelligite in eo genere victus, ad quem spectant, in victu nempe animali). At Hippocrates ait (*d*) ea habe-

(*a*) 16. aphor. 1.
(*b*) Chem. T. 2. Processſ. 16. 4.
(*c*) l. 2. c. 18.
(*d*) 2. de diæt. tex. 12.

habere robuſtum quid, atque alere, & inflare. Quæ quidem de ovorum inflante facultate ſententia, a pluribus e populo, qui ſe id expertos aſſerunt, teneri ſcio; altera vero de vi plurimum alimentitia, ab omnibus. Neque enim noviter nuptis mane ſequenti ea dari ſolent, niſi, ut labore non improbo conſumpta recuperent (Clar. Lemery (*a*) ovis facultatem tribuit augendi ſemen, eaque oleo plurimo, ſaleque volatili cum mediocri phlegmate ſcatere docet), iiſque potiſſimum Tabellarii, qui citatis equis Principum Epiſtolas ferunt, veſcuntur, quia valentiore alimonia egentes, ad vires labori pares ſuſtinendas, ea commodiſſima putant; feſtinatio etenim, qua urgentur, non ſinit, ut largius edendo, tempus inſumant. Avicennas (*b*) tradidit, ova eſſe paucæ quantitatis, & plurimi nutrimenti. De recentibus loquendo, paucamque ignis vim paſſis, rem ita ſe habere in animum facile mihi induco.

XXVIII. Ex eximio Bellino (*c*) ovorum albumina (terna ſiquidem tunicis ſuis comprehenſa quodlibet ovum habet) ita reſpondent ſubtilioribus noſtris liquidis; ut craſſius ex iis, ejuſdem naturæ, ac ſanguinis ſerum; alterum, ac lympha ex Thoracico, lymphaticiſque ductibus; tertium tandem ovi cicatricula contentum, indolis ejuſdem, ac cerebri, medulęque ſpinalis ſubtiliſſimus humor eſſe videantur. Adeo igitur albumina iſthæc nutritioni apta ſunt, ut jam elaborata nutritionis materia, & ſuccus ipſe nutritius ſint; ſatiſque iis ſit ſanguinis vaſa intraſſe, ut

M 2 cha-

(*a*) Trait. des alim. T. 2. chap. 45. (*b*) l. 1. Fen. 4. Doctr. 5. c. 1.
(*c*) Prop. 8. de mot. Cord.

characterem statim animalem assumant. Vitellus autem adeo nutriendo est, ut ex eo corpus pulli conficiatur, atque increscat. Præterea ita facile in succum alentem, & ipse mutabilis est, ut per imbecillimas exilissimi embryonis in cicatricula contenti vires, in pullum excrescat. Summe igitur nutrientia ova, quæ ægris porriguntur, sunt; atque iisdem hoc peculiare cibos inter copiosioris nutrimenti est, ut minimis vitæ viribus ad subactionem opus habeant. Ac quoniam blandissimi saporis sunt, nihilque habent, quod linguam feriat: quodque in iis volatile est, quod oppido plurimum est, adeo lymphæ animalis volatilibus moleculis nobis tam amicissimis, ut necessariæ sint, respondet; sequitur, ova recentia, & optimi succi esse, & coctionis ita facilis, ut ea vix indigeant, & celeris distributionis. Iis ergo ægris, qui viribus validioribus opus habent, quam qui morbis acutioribus, aut simpliciter acutis laborant; ova recentia, sorbilia, paucamque ignis vim passa, alimentum numeris omnibus absolutum præbent. Sed quia, & utilissime, & multum nutriunt, ideo morbis acutis aliena sunt; majores etenim sufficiunt vires, quam quibus eget acute laborans. Fertur apud hodiernos Græcos religiosissime ab ovis caveri in febribus acutis. Byzantii, ita mihi referente Mercatore ibi nato, atque educato; & ab ovis, & a juribus animalium in victu acutorum cavetur. Oryza ex aqua cocta, hordeo, aut subtilioribus e pasta cibis aquæ incoctis, acute febrientes alunt. Num ex more Gentis id fiat: num, de ovis loquendo, cælum ibi nostro calidius, febris calori additum illorum vim efficaciorem

rem reddat, aut ovorum ſubſtantiam vitiet, ut inde mali, qui ab illorum uſu contigiſſe narrantur effectus, exorti ſint; aſſerere ipſe non auſim. Sed ad noſtra principia redeamus.

XXIX. Eadem, itaque, principia, quæ a ſalubri victu acute ægrotantium jura ex animalibus conſumata, ſuccos e carnibus expreſſos, reſtaurantia, atque ova excludunt; cibos e Cerealibus, Triticum ſi dematis, apprime conducibiles, & utiliſſimos eſſe oſtendunt. Id de Ptiſana ſolummodo demonſtremus, quia eam potiſſimum veterum obſervationes probarunt. Cum primis, ne in morbis acutis qui a materia auferenda fiunt, viribus in expulſionem ſupervacuæ, & morboſæ materiæ nitentibus, demiſſa in venas copioſa alimentitia ſubſtantia, nova materies opponatur, & reſiſtentia augeatur neceſſe eſt. Huic intentioni commodiſſima Ptiſana eſt, quæ glutinoſa ſubſtantia caret, quæque, reſpectu ad victum animalem habito, minus valentis alimoniæ eſt. Cum vero morbi acuti nil aliud ſint, niſi materies morboſa cum impetu acta; omnino deſiderant, ne cibus illiuſmodi ſit, qui turbas, tumultuſque moveat, motumque concitet. At talis Ptiſana eſt: illius enim qualitates ex Galeni c. 5. de Ptiſana prope finem, ubi Ptiſanæ vires, quas fuſius ſupra deſcripſerat, quadam veluti anacephaleoſi complectitur; imbecillimæ ſunt. Requirunt præterea acuti morbi, ne facultas, quæ morbo ſuſtinendo, & vincendo eſt, deficiat. Id vero in morbis acutis a Ptiſana præſtari adeo certum eſt; ut quia acutioribus, atque acutiſſimis nimiam ſufficeret; ab obſervatione edocti veteres, eam ſolis acutis ſimplici-

ter aſſignarent. Atque hæc, ſi propoſita principia ſolummodo reſpiciamus, atque ad ea tantum relate, Ptiſanam conſideremus. Quod ſi præterea alias ex Hippocrate, & Galeno Ptiſanæ dotes pendere velimus; propter illas etiam videbimus, eam acutis ſummopere convenire. Sitim enim ſedat, & magis, quam ſola aqua: facile coquitur, & in univerſum corpus cito diſtribuitur: ad alvum non imprompte deſcendit: lubrica eſt, & abſtergente virtute pollet. Quantum vero abſtergentia acutorum denſitati ſolvendæ apta ſint, inde facile colligi poteſt, quod hæc denſioris ſanguinis craſſamenta ſine motus, caloriſque intenſione diſſolvant.

XXX. Quamquam frequentiſſimæ veterum obſervationes, & quotidiana experimenta de hordeo ab iis in Praxi capta, ſatis eſſe poſſent ad veras illius vires determinandas (neque enim ad facultates remediorum, ciborumque detegendas, quicquam plus valet, quam effectuum ab iis proditorum diligens, ſæpiuſque repetita obſervatio) nihilominus ne putetis, facultatibus de Ptiſana ab Hippocrate, Galeno, aliiſque veteribus traditis, recentis ſanioris Chemiæ approbationes deeſſe. Meritiſſimus Charteuſer, cujus induſtria ſcientiæ, & diligentiæ par, quique medicinalem materiam Chemica quidem opera, ſed ſummo cum judicio examinavit; in Fundamentis materiæ Medicæ (*a*) docuit, hordeo vulgari, avenæque albæ ineſſe ſubtile, ac ſubdulce principium mucilagineum, tenerrimo cuidam, ac refrigeranti ſali nitroſo *embryonato* plerumque permiſtum. In mucilagine, videtis delicatiſſimam nutri-

(*a*) Sect. 15. c. 6. §. 1.

nutrientem ſubſtantiam, quæ in virium materiam elaborari poteſt, & ſanguini, ne febrili motu ſua mucilagine ſpolietur, ſuppetias ferre. In ſubtilitate mucilaginoſi principii, clare perſpicere poteſtis, ut illud a paucis vitæ viribus ſubigi, & aſſimilari queat. Ex ſapore ſubdulci, noſcitur acrimoniæ carentia. In ſale autem tenerrimo nitroſæ naturę nondum perfecto, neque ad duritiem, rigiditatemque, qua ſalinæ moleculæ maturæ inſtruuntur, adhucdum perducto; ineptitudo ad irritandum cernitur; aptitudo ad blandæ ſolvendum viſitur; facultaſque ad ſitim tollendam, ad alvum aperiendam, & vis blande abſtergendi, manifeſtatur.

XXXI. Hic ternas mihi quæſtiones a vobis proponi ſentio. Prima eſt: cur hordei uſus apud nos in acute ægrotantium victu ferme obſoleverit. Altera: quid, eduliis ex Ptiſana rationabiliter ſubſtitui poſſit. Tertia tandem, qui fiat, ut cum cibi a me reprobati acute ægrotantibus alieni adeo ſint; nihilominus mali, quos edere deberent, effectus, neque a medicis, neque ab aliis, qui ægris aſſident, obſerventur. Uni, atque alteri ex propoſitis quæſtionibus mox faciam ſatis; tertiam commodiorem in locum reſervabo.

XXXII. Manardus (*a*) pluribus de cauſis ait a medicis Ptiſanæ uſum jam ſuo tempore intermiſſum fuiſſe. Primum, quia, cum in ægris alendis conſuetudini reſpectus habendus ſit, ſuis autem temporibus, Ptiſana, quæ apud ſuperiores in cibum quoque ſanorum veniebat, in deſuetudinem abiiſſet; inſueto cibo ægri nequaquam alendi erant. Secundo, quia morbi con-

(*a*) l. 5. Epiſtol. 2.

contingunt , quibus nec Hippocratis judicio ea eſſet danda. Tertio, quia, eo ſic referente, ſuo tempore, non ad hominum, ſed ad brutorum potius eſcam hordeum ſeminaretur; propterea, neque grana ad ſementem ſeligerentur ; & incurioſius ager præpararetur ; neque a pravis herbis mundaretur ; neque collectum hordeum diligenter in arca, aut horreo cuſtodiretur: factum hinc , ut ſui ævi hordeum a perfecti hordei qualitatibus longius abeſſet. Quarto, quia coqui eam parare neſcirent. Tandem vero, quia ſi probum quoque hordeum affuiſſet, & coqui Ptiſanam ex arte parare ſciviſſent ; tempus pro ea acute febricitanti coquenda, & paranda defuturum plerumque fuiſſet.

XXXIII. Nullus dubito , quin quicumque hæc legat, aut audiat, ſtatim horum infirmitatem non ſentiat, utque minimum ſucci, ſanguiniſque habeant. Si tempus Ptiſanam acute ægrotanti coquendi, & parandi (ut ab hoc incipiam) Manardi tempore deerat ; iiſdem temporum anguſtiis premi quoque debuerant veteres medici , cujuſce tamen difficultatis non meminere , neque de ea conqueſti ſunt . Quid vero dicendum de jactura ſubtiliſſimi , difficillimique artificii Ptiſanam præparandi? Nonne id ridiculum, ei præſertim, videri debet , qui ſciat , Manardum Latinum feciſſe Galeni librum de Ptiſana , quo tam mirificum, ac ſingulare artificium edocetur? At adeo felix Manardus eſſe non potuit , ut quamvis id docendo laboraſſet, rite, recteque paratam eam videre potuerit . Porro de boni hordei penuria , qua ſuo tempore laborabatur , deque illius frumenti apud ſanos inſuetudine, non habeo quid dicam. Noſtris certe

tem-

temporibus, neque proba hordea desunt, neque in cibum jumentorum tantum seruntur; sed non modo populo, verum nobilibus quoque hordeum, ac præcipue, quod Germanicum dicitur, in pulmentum haud raro coquitur. Sed satis fuerit occasionem laudatæ Manardi Epistolæ referre, ut quanti illius ratiunculæ æstimandæ sint plane noscatur. Manardo, Budæ tunc commoranti, Gillinus Comaclensis Episcopus scripserat, post illius e Ferraria discessum, apud clariores illius Regionis medicos consuetudinem invaluisse, ut omnes ferme ægrotantes hordeo, & hordentis nutrirent. Mirabatur itaque doctus Episcopus, cur Praxim diversam in alendis ægris servare suevisset Manardus (hinc conjicere oportet, hanc victus rationem felicius præ ea, qua utebatur Manardus, cessisse; neque enim si aliter res contigisset, de diversitate methodi Manardum, sed alios medicos compellasset) atque ab eo causam sciscitabatur, cur una cum illis medicis nequaquam sentiret. Cui respondens Manardus, non alias rationes consilii sui, quam supra positas affert. Videtis, itaque, factis ipsis, omnes, præter unam, adductas a Manardo argutatiunculas convelli. Sive enim tunc suevissent illarum Regionum incolæ hordeo uti, sive non; parata ex hordeo alimonia tunc recte in cibum ægrotantium cedebat. Dicendum ergo est, neque tunc tempus parandæ Ptisanæ defuisse; neque summam artem eam coquendi ignoratam fuisse; neque tunc Ferrarienses, ac Comaclenses bono hordeo caruisse.

XXXIV. Firmius nequaquam argumentum est, quod in causæ suæ patrocinium ab Hippocratis, & Gale-

ni quoque auctoritate sumit Manardus. Verissimum est docuisse Hippocratem, acutioribus morbis, ubi sicciores fuerint, Ptisanam alienam fore. Sed cur? Quia solus Ptisanæ cremor, non vero Ptisana integra iis conveniret. Nimiam alimoniam, ex Hippocrate, tota Ptisana iis morbis sufficit, ideoque iis nequaquam commoda est. Eam igitur non adhibendam tunc censuit; non quia cibi ex hordeo inutiles iis morbis forent; sed quia, si hordeo integro alerentur ægri, vis alimoniæ major erat, quam quæ illis conveniret. Num id Manardi sententiæ faveat, cuicumque judicandum relinquo. Sed propositæ quæstioni respondeo. Ptisana non utimur, quia ægri scientes medicos indulgentiores redditos, gratiores, sapidioresque cibos facile concedere; ab ea tamquam ab ingrato, & nauseoso edulio abhorrere jam diu cæperunt. Unde vero nimia medicorum indulgentia originem traxerit, jam supra a nobis positum est. Inde mos alia cibaria, Ptisanæ loco, dandi fluxit, ac mori, quem omnium regem jure Pindarus dixit, hodie quoque paremus.

XXXV. Venio nunc ad alteram quæstionem, quæ erat: qui cibi Ptisanæ, aliisque ex hordeo paratis, aliqua cum ratione substitui possint. Clariss. Hippocratis Interpres Vallesius (*a*) putat, Ptisanæ integræ, illiusque Cremori substitui ad acute febrientes posse coctam Lactucam, Betam, Cremorem amygdalarum, recentium pullorum carnes, & Gallinæ jura. Deinde ubi Hippocrates in l. acut. (*b*) Ptisanæ virtutes extollit, ait, eam utique ab illo præferri reliquis frumentaceis eduliis, non tamen omnibus cibis; ideoque

(*a*) ad 4. aphor. 1. (*b*) tex. 5.

que illius loco æque bene dari posse Gallinæ, aut pulli jura, ova sorbilia, piscesque saxatiles. Neque Victum febricitantium una aliqua materia definiri, sed, quod *tenuis sit*, *& humidus*, *concoctu facilis*, *& boni succi*. Concludit tandem, antiquissimos, qui a primis hominibus victu vegetabili utentibus non longe aberant, leguminibus, fructibus, oleribusque magis, quam carnibus vesci suevisse; proinde quoque medicos Ptisanis magis, quam carnibus acute ægrotantes alere instituisse. Sed subsequutis temporibus homines carnivoros adeo factos, ut non immerito hujusce consuetudinis ratione ad carnes tenues, frumentaceis dimissis, medici in acutorum victu deflexerint.

Et veterem in limo ranæ cecinere querelam.

XXXVI. Plura hic sunt, quæ aliquam animadversionem desiderant. Mitto cum primis, doctrinam sine necessariis discriminibus traditam: mitto victum antiquissimorum, quo de animus loqui refugit: at ex eo deduci haud posse, quod Vallesius deducit, contendo. Si carnium frequentior usus in causa fuit, ut medici in acutis ad animalem victum deflecterent; jam ab usque Hippocraticis temporibus oportuerat, victum hunc ad acute ægrotantes in usum receptum fuisse. Hippocratis enim temporibus adeo carnibus utebantur homines (utebantur etenim, & equinis, & asininis, & caninis (*a*) ac de copiosiore carnium esu noxio verba fecit l. de victu acut. (*b*) ut non solum ex iis simplices, simpliciterque paratos cibos sumerent, sed iis quoque delectarentur, quos sum-

 ptuo-

(*a*) 3. de Diæ. (*b*) tex. 18.

ptuosa coquorum industria nostris temporibus invenisse putatur. Textu enim 19. l. 2. de diæta, obsoniorum meminit ex variis intritis præparatorum. In hisce videre mihi videor compositissima illa cibaria, quæ *Pasticci* vocamus. Si ergo consuetudini animalis cibi parentes medici, victum ex animalibus acute ægrotantibus concessere; eccur idem non præstitit Hippocrates, qui de vi consuetudinis plura disputat in libro de victu in acutis? Eccur id a Medicis præstitum non fuit temporibus Celsi, & Galeni, qui pluribus sæculis, quam Hippocrates, ab iis distabant, qui sub Rege Saturno, ut ait Satyricus, glandem eructabant? Sed, quid Celsi, aut Galeni tempora dico? Oribasius quarto sæculo Æræ Christianæ floruit: Trallianus, quinto: Ægineta autem septimo. Quis, quæso, asserat, carnium esum tunc nondum invaluisse? Nihilo tamen minus Oribasius ardenti febre laborantes sola mulsa, & quidem diluta, nutrit, & in sola potione (*a*) continendos docet. Ægineta (*b*) ad easdem ardentes febres, ex sola potione victum instituit, atque Peripneumonicos (*c*) solo Cremore Ptisanæ, aut alicæ, aut amygdalarum amararum nutriendos docet. Trallianus (*d*) aliquanto liberalior, in causone, scilicet in ardenti febre, dat Cremorem Ptisanæ, oleraque præterea refrigerantia, & ova. Ad Pleuritidem autem, libro sexto, quem unicum caput implet, victum instituit ex Ptisanæ succo. Si vires imbecillæ fuerint, panis micas ex liquore mellito dat: si imbecilliores, jusculum ex sola Gallina sine oleo para-

(*a*) l. 7. synops. c. 19.
(*b*) l. 2. c. 3.
(*c*) l. 3. c. 30.
(*d*) l. 12. c. 3.

paratum (juſculis tunc , in illorum confectione oleum addi ſueviſſe dicendum eſt) & paucas panis micas. Piſcem quoque turdum , *virium ratione habita*, quem Ptiſanam marinam dici poſſe ſine errore autumat. Saxatilis iſte piſcis eſt , eumque ex pluribus auctoribus laudat Salvianus *de aquatilibus* (*a*) ubi miror, eum Tralliani non meminiſſe . Non igitur conſuetudine ducti medici priſci, in morbis acutis, ad animalem victum deflexerunt. Quo ductu id fecerint, nunc non diſquiro , cum præſertim hac de re a me ſupra diſputatum ſit. Satis eſt mihi demonſtraſſe, rationem a Valleſio adductam , eſſe falſitate ipſa falſiorem.

XXXVII. Ait Valleſius , præ ceteris quidem frumentaceis Ptiſanam ad acutos morbos ab Hippocrate laudatam fuiſſe; non alia tamen a victu acutorum cibaria excluſiſſe. Quod ſic ab eo profertur, ut innuere velle videatur, cibos ex animalibus in acutis morbis Coum admiſiſſe; putatque carnium decocta ex iis eſſe, quæ victum tenuem conſtituere poſſunt . At id falſiſſimum eſſe , ac carnium juſcula , non modo a tenui , ſed a pleno, quoque, ægtotantium victu per veteres excluſa fuiſſe; ex iis, quæ ex Galeno, atque aliis, ſuper hoc victu tradita ſunt , ſatis intelligere potuiſtis. Porro Hippocratem, non modo reliquis frumentaceis, ſed quibuſcumque cibis, in acutis, hordeum prætuliſſe , ut ut illud textu quinto reliquis ſolummodo frumentaceis præferat; adeo aperta res eſt, ut ad eam oſtendendam non alio teſte, auctoreve uti velim , quam ipſomet Valleſio. Narrans Hippocrates,

textu

(*a*) Hiſt. 81.

textu ſeptimo de victu acutorum, eorum commoda, qui integra Ptiſana utuntur, ait: *& purgationes multo perfectiores ſunt, & ſuppurati minus fiunt, quam ſi* aliter *quis victum inſtituat*. Hic apertiſſime reliquis omnibus aliis cibis Ptiſanam anteponit. Ad hæc autem, quid Valleſius? *Cumque dicit, qui utuntur totis Ptiſanis; non id dicit totas ptiſanas opponens Cremori; ſed Ptiſanam omnino reliquis cibis*. Hic ſponte fatetur, quæ alibi, per vim a ſe ſibi factam, negaverat.

XXXVIII. Sed ut alteri petitioni veſtræ ad ſatisfaciendum accedam, veſtrum intereſſe puto noſcere, num quæ indiſcriminatim Valleſius cibaria ſupra recenſuit, indiſcriminatim tum Ptiſanæ, tum illius Cremori ſubſtitui poſſint; numve forte alia cibaria eduliis ex Ptiſana ſubſtitui queant. Rem medicinalem præciſionem nunquam recipere poſſe, ut dolendum, ita ingenue fatendum eſt. Propterea medicinalis ars conjecturas inter perpetuo natabit; ac propterea difficillimum erit, non jam ut plures, ſed ut bini ſolummodo medici, quamvis finem eumdem reſpiciant, iiſdem, omnino, mediis, illud aſſequi tentent. Conjecturales facultates, quæ actione perficiuntur, quamdam latitudinem non habere non poſſunt, qua artifices varia utantur in agendo neceſſe eſt. Nihilominus curandum ſummopere medico eſt, ut, ſi conjectando punctum attingere nequaquam poſſit, nitatur tamen, ut ab eo, quam minimum queat, longe abeat. Nobis igitur ad propoſitum argumentum debitam diligentiam præſtituris, præ oculis cum primis habenda ſunt principia, quæ ad victum acutorum regendum propoſuimus: tum veterum obſervationes

perpe-

perpetua, longiſſimaque experimentorum ſerie confirmatæ, principiiſque poſitis ad amuſſim reſpondentes: deinde, quæ ex inſtitutis recentiorum experimentis circa vim, & qualitates ciborum, nobis nota eſſe putantur: poſtremo autem, hiſce deficientibus, quæ de cibis iiſdem, Principes e veteribus tradidere. Hiſce præpoſitis regulis, quid ſentiam vobis aperio.

XXXIX. Loco Melicrati, Oxicrati, aut Cremoris Ptiſanæ, quæ dabantur morbis non exquiſite acutiſſimis, aut etiam acutiſſimis exquiſite, ubi æger abſtinentia premi non poſſet; ſi olera excipiatis, de quibus mox, nulla e cibariis a Valleſio recenſitis dari debent. Non ova: quia quamvis optimi omnino ſucci ſint, nimias vires, quibus æger non eget, ſufficiunt; impetus enim, quo auferenda morboſa materies movetur, eſt infringendus, non concitandus. Non Gallinæ jura, ob gelatinoſam ſubſtantiam, quam continent, quæ alimentitia vis ex Celſo (*a*) ut in reliquis animalibus, quo magis ab ortu diſtant, ita & in pullis coortalibus major eſt, quo minus teneri ſunt. Non pullorum carnes; & ob eamdem rationem; & quia cibus fluidus non ſunt, eoque viribus ſtomachi eget, ut e ſolido fluidus fiat. Non amygdalarum cremor, quia ex Hippocrate (*b*) amygdalæ æſtuoſæ ſunt, & plurimum nutriunt. Non tandem piſces ſaxatiles, quia horum vis Ptiſanæ integræ vim æquat, non modo ex Tralliano, qui, ut audiſtis, Turdum ſaxatilem, Ptiſanam marinam vocari poſſe docuit; ſed ex Galeno (*c*) etiam, qui loco Ptiſanæ ægro eam faſtidienti, piſces ſaxatiles dandos

(*a*) l. 2. c. 18. (*b*) 2. de diæt. tex. 15.
(*c*) Com. 1. de vict. acut. 27.

dos docet. Dari autem poterit, ut quæ mea ſententia ſubſtitui poſſint, vobis dicam; loco oxicrati, & mellicrati, aqua ſucco limonum, & ſaccharo acidodulcis reddita: loco Cremoris Ptiſanæ, emulſio ex ſeminibus frigidis, plus, minus diluta, additis, aut non additis, prout videbitur, paucis amygdalis dulcibus. Ratione parcitatis alimonioſæ ſubſtantię, innocua erunt fraga, mora, ceraſa, ribeſia. Innocua mala & pyra; ſed cocta. Ex experimentis nobiliſſ. Boylæi (*a*) fructus cocti, minorem quantitatem aeris, quam crudi producunt, eoque minus flatuoſi ſunt. Quantum autem horum ægrotorum interſit, iis imum ventrem *metheoriſmis* non exerceri, ex artis exercitio vobis palam fiet. Videbitis enim, ventriculum, & inteſtina flatibus diſtenta, aut quoquo modo male in acutis ſe habentia; & ſalubres motus a cute avertere; & morboſi humoris coctionem impedire; adeo ut aliquando qualitati morbi malignæ ſupervenientia Symptomata tribuantur, quæ ventriculo, atque inteſtinis male affectis ſolummodo debentur. Ne flatibus vexarentur acute ægrotantes, adeo Hippocratis obſervationem, meruit; ut inter alias Ptiſanæ dotes, eam commendarit, qua malam turbationem non excitat, neque in ventre intumeſcit, quia in coctura, quam maxime fieri poterat (*b*) jam intumuit: ſcilicet, totum, quem dimittere poterat, aerem dimiſit.

XL. Ubi Ptiſanæ Cremor, ex veterum ſententia, convenit, in morbis, nempe, peracutis, qui circa ſeptimum judicantur; ſi experimentis ſtandum eſt, dari

ri

(*a*) T. 1. Experim. Phyſ. mechanic. Contin. 2. artic. 1. Exper. 8.
(*b*) l. acut. tex. 5.

ri possent, quamvis apud nos in usu non sint, quod saltem sciam; dari, inquam, possent jura Cammarorum, aut Cancrorum fluviatilium. Ista, ex experimentis Clar. Virorum, Beccarii, & Montii (*a*) & gelatinosa substantia omnino carent; & præterea si ventriculo,& duodeno insint acidi sales ęgro nocituri, eos corrigere valent. Dari poterit Cremor Oryzę: dari poterunt olera. Advertendum tamen ex Galeno (*b*) postrema isthæc ad victum medicamentosum referri. Ideo fieri aliquando poterit, ut licet ratione exiguitatis alimenti a victu non extreme tenuissimo excludi non debeant; ratione tamen aliarum qualitatum, dato ægro, cui victus ille conveniat, conducibilia nequaquam sint. De horum qualitatibus quantum satis egit Hippocrates (*c*). Horum usum iis in casibus utilem apprime ipse duco, in quibus alimenti moles melior, quam vis, & potentia, ut ajebat dictator noster. De hisce nos alio loco pauca.

XLI. A tenui porro ægrotantium victu, cui totam Ptisanam dicavere veteres, quique simpliciter acutis convenit, Ptisana Avenæ, aut Oryzæ, Byzantinorum more, substitui potest. Panatellæ quoque ex aqua dari queunt. Quæ si parum ægro sint, levia pullorum jura, nequaquam plus cocta, quam pro sanis solent; aut jus vervecis, cujus caro concoctu, & perspiratu ex Sanctorio (*d*) facillima adeo est; præsertim si juribus hisce olera mollia, & refrigerantia incoxerint, quæ passim nomine alterantium veniunt; dari utiliter posse puto. Cum enim hujusmodi morbi ad decimum-

O quar-

(*a*) T. 2. Instit. Bonon. P. 1. (*b*) 8. method. c. 2. & 2. de alim. facult. c. 40. (*c*) 2. de diæt. text. 14. (*d*) de cibo & pot. 5. 7.

quartum, vigeſimumque trahant, copioſioribus viribus ægris opus eſt, quam ubi morbus circa ſeptimum judicatur. Præterea febris, motus nempe ſanguinis rapidior, in hiſce diutius perdurans, facilius Balſamico glutine ſpoliare ſanguinem poteſt, quamobrem huic quoque periculo obviam eundum eſt.

XLII. Ubi vero morbi ex Claſſe ſimpliciter acutorum deciderint, ac vigeſima, & vigeſima prima die tranſactis, quadrageſimum verſus progrediuntur, ut acuti ex decidentia vocari mereantur; tunc victu, relate ad ægrotantes pleno, ægri alendi ſunt. Panatellæ valentiores: panis ejuſdem ſubtiliores offulæ e jure: ſubtiliora e paſta fermentata cibaria: ova recentia ſorbilia: eadem jure ſoluta, vulgo *brodettini*: teneriorum animalium teneriores ſine pinguedine carnes: cerebra: jecinora: Thymus Vitulorum dari tunc queunt. Galenus cerebra animalium improbat; improbat & jecinora: vereor ne ex hypotheſi, & ſine experimentorum fide. Cerebrum pituitoſius vocat (*a*) & ita nauſeoſum, ut ab eo ventriculus facile invertatur, & evomat. Inde procul dubio pituitoſioris notam cerebro inuſſit, quia putavit illud eſſe pituitæ nidulamentum. Jecinora (*b*) craſſi, malique ſucci eſſe aſſeruit. Hepar illi erat officina ſanguinis: hujus Parenchyma concreto ſanguini haud abſimile putatum eſt. Sanguis autem pro malo nutrimento habitus, nec forte injuria. Hinc hepar, quod de eo tantum participat, craſſi, malique ſucci eſſe debet. Ita facile puto, eum ratiocinatum fuiſſe. Verum neque cerebri, neque jeci-

ci-

(*a*) l. 1. de aliment. facult. c. 8.
(*b*) c. 12. lib. ejuſd.

cinorum commanſorum ſcelera ipſe adhucdum in artis exercitio obſervavi.

XLIII. Scitote tamen, etiam poſt vigeſimum diem, niſi febris imminuta plurimum fuerit, & graviora ceſſarint ſymptomata, me haud ægris mandenda dare ſueviſſe, ſed eos paulo validioribus ſorbitionibus, oviſque tantum alere. Quis enim in febribus v. g. malignis *per eſſentiam*, ut dicimus, ac petechialibus non inflammatoriis, quæ haud raro cum ſoporibus, ac deliramentis etiam poſt tempus non exacte acutis aſſignatum trahunt, dari poſſe ſine diſcrimine putarit ſolida cibaria, & mediocriter nutrientia, dum materia auferenda, unde morbus, plus nimio adhuc ægrotantem premit?

XLIV. Atque hæc de cibis quadruplici acutorum generi convenientibus generatim dicta ſunto. Rem majore cum præciſione, ſubtiliuſque determinare oppido difficillimum mihi videtur. Ne putetis tamen hæc me ſic rata velle, ut, vel latum unguem ab iis diſcedere piaculum ducam. Habito reſpectu ad ætates, ad Regiones, ad anni tempora, ad conſuetudinem, ad peculiares ægrorum idioſyncraſias, ad eorundem deſideria quoque, aliquid addi, aut mutari tempeſtive poteſt, non tamen multum. Non autem multum ſolummodo, ſed plurimum addit, mutatque, qui conſumpta jura, qui contuſas carnes, harum expreſſos ſuccos, qui tandem reſtaurantia ægris ingerit. Itaque, ut vobis perſuaſum ſit, velim, me hac Diſſertatione contendere, ut potius demonſtrem quid non agendum, quam quid agendum ſit. Sacram lineam prætendo, citra quam expatiari poſſitis, & eo uſque

 pro-

progredi : eam tamen ne prætergrediamini. Veterum obſervata, & Dogmata : propoſita principia ab ipſa tantum obſervatione petita: experimenta recentiorum laudanda induſtria inſtituta, errorem ſatis detegunt, ejiciunt, explodunt. Quæ cancellis veluti quibuſdam clauſimus, aliquam latitudinem habere poſſunt, immo debent, ut ſupra dixi; menſuris tamen exactioribus eam determinare, ob infinitas prope dixerim varietates, quæ in ægris offenduntur, ob varios quibus diverſarum Regionum incolæ utuntur, cibos, ob diverſa adjuncta, quæ medicis in acutorum curationibus perſæpe eveniunt, ſtatuere profecto non poſſum, neque auſim.

IV.

PRincipia, quibus acute febrientium diæta regenda eſt expoſui: cibos ad triplex victus genus determinavi; quique famigeratiſſimæ Ptiſanæ, illiuſque Cremori, mea quidem ſententia, ſubſtitui poſſunt, tradidi. Majoris momenti res agitanda mihi reſtat, cui niſi lucem dare curemus, quæ huc uſque diximus omnia, ſua utilitate carebunt. Tertium e principiis poſitis erat, viribus quidem opus eſſe, ut auferenda materies acuti morbi cauſa a corpore ſalubriter expellatur; ſed viribus non magnis; eoque non ſolum acuta febre laborantibus vires non eſſe augendas, intendendaſque; ſed minuendas, & convellendas. Id captu difficillimum pluribus videbitur, ac procul dubio, qui verba ſolummodo ſpectant, res autem haudquaquam, ut par eſſet, examinant, propoſitum aſſertum,

tum,

tum, non ut principium, sed ut Paradoxon suscipient. Vos tamen, ut spero, videbitis, rem totam ab observatione pendere, eamque facillime a quolibet intelligi posse, qui oculis fidem nequaquam deroget, & communi sensu non careat.

II. Non minus e vulgo homines, quam medici de ægrotantium viribus loquuntur. At primi, ut de reliquis paulo obscurioribus solent: Medici vero obiter, contracte, atque involute, neque satis pro rei magnitudine. Mihi saltem nondum videre contigit, qui argumentum apprime necessarium ex professo agitarit. De eo ipse dicturus, nequaquam mihi tribuo, ut doctrinam de viribus acute febrientium ex suis principiis deducere, atque explicare me posse confidam. Eam igitur haud *a priori*, ut scholæ loquuntur, investigabo, cum, post etiam doctiss. virorum tentamina, eaque ad splendidissimum Geometriæ lumen habita: post meritiss. Hales experimenta, nondum eo pervenerimus (ex judicio quoque clariss. Senac (*a*) ut vires Cordis in homine sano determinare possimus: quanto autem minus in febricitante, & ægroto id nobis determinare datum erit? Ea itaque solummodo persequar, quæ observata, observatorumque consideratio subjicere videntur; idque exemplo ipsius Galeni, qui (*b*) minime negans virium magnitudinem mensurari non posse, ait: quod si non possimus earum quantitatem exquisite invenire; artificiosa tamen conjectura quadam, proxime ad veritatem pervenire queamus.

III. Aliud itaque est vires relate ad sanos, & belle valentes, aliud relate ad acute ægrotantes considera-

(*a*) du Coeur. T. 1. l. 2. chap. 9. (*b*) Com. 1. ad 12. aphor. 1.

derare. Sani, iis non ſolum egent viribus, quæ ad vitam neceſſariæ ſunt, ſed iis inſuper quæ ad mentis, corporiſque actiones ſufficiant. Acute ægrotantibus e contra, ſatis eæ ſunt, quæ ad vitam, donec morbus vincatur, neceſſariæ ſunt; eoque quo acutior, breviorque morbus eſt, paucioribus indigent. Cum vero vita ſine jugi ſanguinis circuitu eſſe non poſſit, atque ad hunc circuitum in ægrotante, qui vel ſolo potu utatur, ſuſtinendum, non ſolum cor ſanguinem ita pellere debeat, ut ad cor ipſum redire poſſit; ſed etiam, ut aliqua ex eodem ſanguine ſecretio fiat: ad ægri, de quo ſermo inſtituitur, vitam, neceſſe eſt, cor ſanguinem ita propellere, ut ad cor, unde diſceſſit, redeat; utque ab ſanguine in jugi, neque interrupto hoc motû conſtituto, aliqua ex iis, præſertim copioſioribus, quæ ab eo fieri ſolent, ſecretionibus perficiatur.

IV. Prima propoſitionis pars per ſe clara eſt: altera autem explicatione aliqua eget. Si data ſanguinis quantitas in ægrotante, qui ſolo potu utatur, ſit, quæ in gyrum lata, quantum quidem ad eam ſpectat, vitam ſuſtinere poſſit, ajo, vitam diutius minime ſuperfuturam, datam, ſcilicet, ſanguinis quantitatem nequaquam in Orbem diutine ituram, ſi omnes fluidorum ſecretiones ſuppreſſæ fuerint. Poſuimus ægrum noſtrum ſaltem bibere. A potu igitur venas ingreſſo fluidi pellendi quantitas adaugetur, quæ ſi per renes, aut alia colatoria non exeat, majorem reſiſtentiam cordis impellentibus viribus objicit. Porro reſiſtentia adaucta, quoad effectum, idem eſt, ac vis imminuta. Quoad effectum igitur tunc imminutæ cordis impel-

impellentes vires, vel ſanguinem, ut par eſt, in gyrum propellere poſſunt, aut non. Si prorſus non: circulatio rupta eſt, & cum circulatione vita ipſa: ſin poſſunt, non poſſunt ſine niſu, cum vires, ut tantum, non plus pellere poſſint, determinatum ſit. Pellent igitur cum ipſarum virium diſpendio; agens enim, quod agendo & ipſum patitur, proportione habita ad actionem, patitur. Sed virium diſpendium, quoad effectum, idem eſt, ac reſiſtentia adaucta: hac autem uſque creſcente, quia ſingulis Cordis contractionibus vires imminuendæ ſunt; circulatio ut interrumpatur, & cum circulatione vita ipſa neceſſe eſt. Ad vitam igitur acute ægrotantis, qui ſolo potu utatur, non modo eæ vires neceſſariæ ſunt, quæ in orbem ſanguinem ferre poſſint; verum etiam non omnis e ſanguine ſecretio ablata ei eſſe debet.

V. Nunc ab ipſa Praxi lumen capiamus, iſtaque nos edoceat, quibus virium copiis in acute ægrotantibus ad morbum uſque devictum vita ſuſtineatur: ſcilicet, qua virtute neceſſarius ille jugis circuitus, una cum ſecretionibus, ſine quibus diu perdurare non poteſt, perennetur ad uſque morbi finem. Obſervatio, ut ut ei parum, aut nihil attendatur, obvia, quotidiana, & facillima eſt. Nemo ab acuto morbo exurgit, niſi viribus plurimum dejectis. Plures, primis a morbo devicto diebus, pedibus ſtare non poſſunt: quidam, neque extra lectum ſedere: non pauci decumbentes adhuc, ventrem exonerare coguntur. Omnes, plus, minus, elumbes, imbecilles, pallentes ſunt. Quid porro dicendum de iis, qui malignas *eſſentiales* longiores febres effugerunt? Adeo iſti ob vi-

res, ſuccoſque exhauſtos fracti ſunt; ut non jam e lecto ſurgere, aut ſe ſe attollere; ſed neque ex uno in alterum latus, ſine adſidentium ope, & auxilio, convertere ſe poſſint. Iis igitur in tanto virium collapſu eæ ſupererant, atque ſuperſunt, quę ad vitam ſatis ſunt: quæ ſcilicet, & ſanguinis in orbem progreſſionem, & ſecretiones ſuſtinere poſſunt. Meditemini, quæſo, Egregii Juvenes, ſuper hiſce quotidianis obſervationibus, eaſque ad uſum traducite. Duo ex hac meditatione plane colligetis. Primum: quam vanus ſit illorum timor, qui, vel primis morbi diebus de virium collapſu ſoliciti, populari diligentia ad cardiaca, & valentioris ſubſtantiæ cibos confugiunt. Alterum: ut vera ſit ſupra allata Galeni animadverſio: ſcilicet, nos quidem haud poſſe virium quantitatem exacte dimetiri; ſed conjectura, quæ ab obſervatis immediate fluit, determinare nobis datum eſſe, ad morbos acutos, vehementioreſque vincendos, paucioribus, quam vulgo putatur, viribus opus fore.

VI. Veritas hæc ab obviis, frequentioribuſque obſervationibus deducta eſt: eamdem a ſingulari aliqua, & minus obvia deducamus. Virgo ſeptennis (hiſtoriam ex Hyacintho Ceſtoni ſuo narrat Eques Valliſnerius (*a*) ſenior, noſtræ ſcholæ, non ita pridem, Clariſſimum Ornamentum) Virgo, inquam, ſeptuennis, a duplici, ut dicimus, tertiana continua febre, die morbi ſeptima auditu, loquela, mente, ac motu omnium corporis partium, capitis motu excepto, carebat. A prima Martii die ad trigeſimam imbecillima, mortique proxima traxit, non alio omnino cibo

(*a*) T. 2. Oper. in fol. p. 501.

bo uſa, quam aqua. Atque adeo traxit, ut die ejuſdem menſis vigeſima ſeptima meliuſcule habere cœperit; licetque utrique natium gangræna inſediſſet, evaſerit. Vos ſane nequaquam arbitraturos reor, virginem hanc plurimarum virium auxilio & vitam ſuſtinuiſſe, vehementemque adeo morbum effugiſſe. Huc aliquo modo facere quoque poſſunt febrium acutarum, malique moris curationes, quæ ope ſolius aquæ, illiuſque gelidæ, & Neapoli, & Melitæ Aphricæ peraguntur. Binas hujuſmodi feliciſſimas curationes, Bononiæ, quoque, in mortis Noſocomio, ab Clariſſ. illius Univerſitatis Profeſ., eodemque Primi Subſellii Practico Azzo-Guidi peractas, ſe vidiſſe mihi narrat Filius meus Antonius-Cajetanus, Florentia, & Bononia redux. Ad quatuor, ſexve dies, & quidem dum morbus in ſtatu eſt, gravioreſque labores affert; dum, ſcilicet, plerique e noſtratibus, & ad cardiaca confugerent, & reſtaurantibus uterentur; omni vitato religioſe cibo, ſola aqua ægrotantes vivunt: vivunt, inquam, & non pauci convaleſcunt. Neque hoſce, mea quidem ſententia, putandum eſt, validioribus inſtructos viribus, contra morbum pugnare. Sed præſtat quoque vobis enarrare caſum a me obiter obſervatum. Anno 1751. Vico ſatis culto, cui in Feltrienſi diſtrictu Fonzaſo nomen eſt, aliiſque locis conterminis, Petecchialis Epidemica febris incubuit, quæ plurimos, catervatimque corripuit, nec ſane paucos letho dedit; quæque ob famam, atque formidinem omnia de more augentes, non levem metum propinquis locis, & Feltriæ ipſi incuſſit. Juſſu Supremi Magiſtratus Salutis Venetiarum, mihi tunc apud Feltrienſes medici-

nam facienti, eo aliquoties adeundum fuit, ut ægros illos inviserem, & de Epidemiæ statu referrem. Postrema vice, qua illuc accessi, Ruri, Arten dicto, ducebar ad rusticum, quem aliis vicibus minime inviseram, quique jam morbum evaserat, & in lecto sedebat, sed potius mortuo reviviscenti, quam e morbo surgenti similis. Ab eo inter alia quæsivi, cujus consilio & ope sibi succurrisset. Languida voce respondit, se nullius medici consilio usum: proximum vero Fontem sibi unice, & pro Culina, & pro Pharmacis inserviisse, profusisque sudoribus morbum evasisse. Tunc erat dies vigesima a decubitu, ajebatque Presbyter, qui me ad convalescentem duxerat, eum decima sexta die a febre liberum fuisse. Si etiam macies, pallor, vocis languor, pulsus imbecilliter micantes satis non ostendissent, quam fractæ fuerint illi homini vires; quicumque consideraverit, eum per sexdecim dies in solo aquæ potu stetisse, cum gravissima febre pugnasse, & sudoribus profusis evasisse; conjicere facile poterit, sanguinis circuitum ad vitam trahendam necessarium, ab exili virium manu in eo sustentatum, perennatumque fuisse.

VII. Jamque observationes Practicæ nos docuerunt, paucis viribus acute ægrotantibus opus esse, ut vivant, & morbum evadant. Nunc ad earumdem observationum lumen videbimus, necesse iis fore, si morbum effugere velint, ut viribus plurimum mulctentur. Hac de re cum primis nos certiores reddet curationum consideratio, quas sponte Natura peragit: sponte, inquam, sibique soli relicta, nullisque artificis auxiliis, stimulisque, sive illecta, sive perculsa; tum conside-

ratio

ratio aliarum, quas medici molimur. Morbi gravissimi, acutioresque in rusticana plebe, haud infrequenter, absque ullo artis auxilio in salutem terminantur. Putandum forte, qui morbum evaserunt, viribus satis instructos e lecto surgere? Non, per Jovem. Non minus ac ii, qui ope artis evadunt, decolores, excarnes, elumbes, imbecilli sunt; atque ad reparandas vires, quas Natura in morbi curatione ipsa non conservavit, sed exhausit, & tempore, & decubitu, & paulatina cibi adjectione opus habent. Num credendum, interim, ac Natura Medicatrix vires illis convellit, eos sibi consulere restaurantibus, contusis carnibus, ferculis, quæ plurimum alimoniæ contineant? Nugæ. Tunc e macello Vitulum comparant, aut e Cohorte pullum sumunt, cum res tota ad Parochum redacta jam est. Arbitrandum forsan iis succurrere naturam mitioribus evacuationibus, quæ neque humores exhauriant, neque vires dissipent? Quicumque in hac sententia foret, in magna rerum medicarum ignoratione versaretur. Sanguinem rarius ex ano, sæpius ex naribus, ad libras fundunt. Ut ut palea, & pluma Grabati humori siccando, & retinendo sint; copiosi, quibus diffluunt sudores, omnia non humectant modo, sed madefaciunt, largissimisque diarrhæis exercentur. Ex hujusmodi spontaneis salubribus judicationibus invaluit verissimum illud apud Medicos axioma: *nil paucum criticum*. At natura hujusmodi curationes forte suscipit, dum adhuc ægri viribus valent, firmioresque artus illis sunt. Toto cælo errat quicumque sic secum reputat. Sanguinis spontanea profusio, quocumque morbi tempore, nec minus in-

 choan-

choante, quam crescente morbo, ex verissima Martiani observatione (*a*) quidquid aliter alii scripserint, morbum tollere potest; at reliquæ crises salubriter non fiunt, nisi, aut apparentibus, aut prægressis coctionis signis; neque hæc in acutis, qui post septimum judicantur, apparent, nisi postquam æger cum morbo luctatus aliquandiu fuerit; postquam, scilicet, virium non levem partem consumpserit. Tunc crises fiunt, morbusque vincitur, neque alio modo spontaneis naturæ motibus acuti morbi domantur. Neque ars igitur Naturæ imitatrix, eos domabit, nisi plusquam mediocriter vires ægrotanti succisæ fuerint. Rem meditemur.

VIII. Copiosior morbosa materies intra vasa accumulata, Machinas omnes cruori pellendo datas excitat, vellicat, inæqualiter premit, irritat. Præcipiti cursu labi incipit sanguinis flumen; validiore momento omnia premit, ac percutit; eo vi adigitur, qua subtilioribus solummodo humoribus transitus datur: vasa minora nimis repleta, ut phrasi Hippocratica (*b*) utar, nihil remittunt, scilicet in alia se se exonerare non possunt: stagnationes inde humorum, doloresque fiunt: circuitus æquabilitas tollitur: febris nunc apertius, nunc occultius incenditur: assidue hominem febris excitata tenet; jamque morbo acuto iste correptus est, & in vitæ discrimine non levi versatur. Quid, quæso, ars sibi præstandum proponit, ut tantas turbas placet? Humorum impetum compescere satagit. Qui autem? Cum primis evacuando, & omnia vasa deplen-

(*a*) sup. tex. 16. 4. Epid. & sup. vers. 29. sect. 1. conc.
(*b*) 4. de morb. tex. 25.

deplendo. Quomodo vero evacuatio, vaſorumque depletio motos, ut ita dicam, fluctus componit? ut aliquod corpus celeriter verſus aliquam plagam fluens tardius moveatur, neque obice aliquo, impetum, quo fertur, tardare velimus, aut poſſimus; neceſſe eſt, ut, quæ illi imprimitur vis, imminuatur, & retundatur. Si igitur quantitatem motus ſanguinis, magno ruentis impetu, frænare velimus, velocitatiſque jacturam inducere; vires, quæ illum projiciunt, minuendæ nobis ſunt. At id ſolis evacuationibus præſtare nobis datum eſt. Licet enim quibuſdam non careamus auxiliis, quæ ſolidorum irritabilitatem minuunt, & tollunt, eoque ſuperaddita morboſa vis, quæ ab irritatione pendet, tolli poſſit; horum facultas (mitto cautiones ex Practicorum ſententia in horum remediorum uſu adhibendas, quibus quidam illorum Praxim ſuſpectam, modo jure, modo inepte reddunt) brevioris durationis, utque medici loqui ſolent, palliativa eſt; quapropter remedii facultate evaneſcente, turbæ iterum moventur, excitanturque, eodemque in loco, poſt eorum uſum, res ſita invenitur, in quo antea conſiſtebat. In ſola igitur quantitatis detractione ſpes certior, ſolidiorque effrænes motus compeſcendi verſatur. Evacuandum igitur eſt, ſed non utcumque; verum quouſque impellentes ſanguinem vires fractæ aliquanto fuerint; fieri enim poteſt, & fit, ut niſi hujuſmodi vires ſucciſæ ſint, a præſtitis evacuationibus motus, aut validiores inſurgant, aut ſaltem non compeſcantur. Rem, & vidit, & adnotavit, & illius rationem reddidit Galenus (*a*) quam tamen nos

(*a*) Com. 1. aphor. 4.

nos planius, latiusque explicabimus. Ita ille: *in ægris raro fit, ut vires, quas invenerimus, majores reddamus, sed fere semper operam damus, ut in longis quidem morbis easdem retineamus, ac tueamur; in acutis vero modice imminutas conservemus. Nam si quis in iis semper, vel quales accepimus servare, vel etiam augere voluerimus, morbum procul dubio auxerimus.* Exemplo autem res clarior evadet. Ipse, vi quadraginta graduum pilam plumbeam duodecim librarum, ad datum terminum, dato impetu, & momento projicio: ut impetus, & momentum projectæ pilæ minuatur, nequaquam satis est, si eam mediam, & sex libris minorem faciam. Namque cum in meo brachio quadraginta gradus virium post dimidiatam pilam remaneant; eam tanto fortius tunc projiciam; quantum pilæ pondus imminutum deficit a pilæ integræ pondere: omnibus enim & singulis sex libris plumbi, tota ea vis applicatur, quæ applicabatur antea totis, & singulis libris duodecim; quapropter resistentia imminuta, quoad effectum, pro viribus auctis, ut æstimetur, necesse est. Ut igitur impetum, momentumque pilæ projiciendæ tollam, idque præstem ocius, quam fieri potest; subtilioribus mechanices legibus inconsultis, & pilam extenuo, & vires projicientes minuo. Ad eumdem modum in sanguine violenter acto res cedit. Ut sanguinis impetum, momentumque, quo resistentias percutit, compescam; non solum oportet, ut illius quantitatem minuam; sed ut vires quoque impellentes infringam. Si enim imminuero pondus sanguinis, non autem vires, istæ, quod e pondere reliquum est, violentius projicient.

IX.

IX. Huic ratiocinio quotidiana Praxis in morbis inflammatoriis, in iis ſcilicet, in quibus ſanguis violentius per liberos canales fluit, ad amuſſim reſpondet. Iſti enim, ubi vehementiores fuerint, vehementiam nequaquam remittunt, niſi poſt iteratas venæ ſectiones, & humorum quantitatem plurimum imminutam. Me haud latet, pleroſque Practicorum tunc ſanguinem mittere, ut illius aucto motu, quæ vaſcula obſtruunt, lenta, & craſſa extenuentur, & abripiantur. At ſi, ut par eſt, diligentius obſervabunt, tunc ſolummodo remiſſiorem factam ægritudinem videbunt; quæ obſtruebant ſcilicet, extenuari percipient; poſtquam ſanguinis motus mitior evaſerit. Præterea animadvertant velim, non ſolum Sydenhamio, Boerhaavioque, Viris Præſtantiſſimis; ſed ipſimet Hippocrati, deductiſque ab eo Medicis, nil antiquius in acutorum cura fuiſſe, ut ut aliis Theoriis uterentur; quam humorum motum, impetumque frænare. Igitur ex examine, & æſtimatione curationum, quas tam natura, quam ars in acutis ægritudinibus præſtant, apertiſſime colligitur, ad illarum ſanationem neceſſe fore, ut ægrotorum vires convellantur.

X. Verum quiſpiam ſubdet: quouſque tandem vires iſtæ demendæ ſunt? Utinam demonſtratione aliqua mediante ad certam menſuram pervenire poſſemus! Verum in hoc negotio calculatori locus non eſt: opus tantum eſt conjectore, ſed medico: eo ſcilicet, qui haudquaquam ab univerſalibus probabilibus conjecturas ducat; ſed eas ab obſervatis, & *a poſteriori*, ut ſcholæ loquuntur, ſumat. Ab univerſalibus probabilibus tantum conjectatur, qui ad rem hanc ægrotantis tempera-

pera-

peramentum, habitudinem, ætatem, ſexum ſibi conſideranda proponit. Temperamentorum doctrina, ut ut a quibuſdam dedolata, perpolita, vel ſi mavultis, recuſa; neque ſtat, neque firmo unquam talo ſtare poterit. Ab iis autem, quæ ad habitudines, ſexus, ætates ſpectant, conjecturas ducere, unde cum fiducia operemur; idem eſt, ac, quam non habent, rebus, conſtantiam dare. Pulſus, in iis præſertim, quæ ad virium menſuram ſpectant, ſignum egregie fallax non raro ſunt. Intueri utique etiam iſta oportet; ſed poſtquam neceſſarium ab obſervationibus lumen acceperimus.

XI. Ex obſervatione Hippocratica 28. aphoriſm. 3. comprehenſa, ſæpe nimium experimur, non ſatis feliciter cum iis ex acute ægrotantibus agi, quorum corpora, licet morbo, & medicamentis exercita, non minuuntur, ſed, ut ſanitatis tempore, turgidula adhuc, & bene colorata apparent. Ut igitur de iis bene ſperemus, inter alia, ut minuantur oportet, & vaſa in iis concidant. En ſignum minus fallax neceſſariæ virium imminutionis. Ad incipientem vaſorum collapſum convellendæ eæ ſunt. Etenim ſi etiam quantitas humorum educta ea foret, a qua vaſorum concidentia expectanda eſſet; ſi impellentes adhuc vigeant vires, vaſa non collabentur. Ab illis etenim, quod reliquum eſt humorum, ut vehementius circumagatur neceſſe eſt; ab hoc vehementiore motu, calor; a calore autem humoris rarefactio neceſſario conſequitur, quæ humoris volumen augendo vice quantitatis fungitur, & humoribus quoque detractis, vaſorum turgeſcentiam ſuſtentat, neque ea collabi ſinit.

Neque

Neque obſtat Clariſſ. de Sanvages obſervaſſe (*a*) ſanguinem ad aquæ ebullientis calorem, ducenteſima tantum parte, volumine adauctum, eoque in calidiſſima febre, in qua calor tertiam ſolummodo partem caloris aquæ ebullientis æquat, ſanguinis rareſcentiam, ſexcenteſimam partem ſui voluminis, quod perceptibile non eſt, tantum augere poſſe. Contra enim ſtat Autopſia, qua videmus, nobis incaleſcentibus, venas, quæ per dorſum manus excurrunt, excitari, & tumefieri. Id autem in cauſa eſt, ut nobis ſæpe mirantibus ægri in morbis acutis, & colorem, & faciei plenitudinem retineant, quamvis ex peractis evacuationibus, ut nobis quidem videtur, facie collapſa eſſe deberent. Igitur, ad hunc uſque terminum vires demendas eſſe puto. Sagacitas autem medici, hoc ſtatuto termino, conſiderata habitudine, ætate, ſexu, atque ægrotantis vivendi modo, conjectari non inepte poterit, num plurima, num mediocris, num pauca evacuatio ægrum ſuum ad hunc vaſorum collapſum perductura ſit. Sed certum eſt, obſervatione id docente, huc in morbis acutis perveniendum eſſe; neque huc perveniri poſſe ſine non pauca virium læſione. Et non pauca quidem *abſolute*, licet evacuationum quantitas, quæ vaſorum collapſum inducit, *relative* tantum, neque *abſolute* magna eſſe debeat.

XII. Cum, igitur, non ſolum paucioribus virium copiis egeant acute ægrotantes, ut morbum effugiant, ſed omnino neceſſe ſit iis vires non parum convelli; conſectarium eſt, eos non pleniore, ſed tenuiore cibo alendos eſſe; proindeque valentioris ſubſtantiæ ali-

Q men-

(*a*) Diſſert. 2. ſu i diverſi effetti dell' aria ſul corpo umano n. 107.

menta, quæ reprobavimus, ab iis esse arcenda. Quam illationem ex præmissis fluere non dubito, quemadmodum pro certo teneo, præmissas a vero non aberrare. Quod si contingeret; cum eæ meræ observationes sint, observationes autem sint naturæ nos edocentis sermo; vocem quoque, & sermonem naturę a vero aberrare dicendum foret; eoque eam minus fallacem Medicinam, quę ab ore, ut ita dicam, Naturę edocetur, neque ullam esse, neque fuisse unquam, aut uspiam. At fuit hujusmodi medicina apud eos, qui ab ore edocentis naturę eam ediscere voluerunt. Fuit apud Empiricos vetustissimos medicorum: fuit apud Hippocratem artis Principem, immo Dictatorem: fuit apud reliquos Dogmaticos Proceres: fuit apud Methodicos, qui magno in pretio habiti sunt. Ut ut isti in diversa ab Hippocrate abirent, eumdem tamen servabant scopum in acute ægrotantibus alendis: eos nempe, & levissima materia, & parcius quoque, quam Hippocrates, & Hippocratici, alebant. Fuit tandem apud Italos non pluribus seculis a nobis remotos; qui quamvis suorum temporum vitio in iis essent opinionibus, quæ, non sine ratione, hodie minus probantur; in ea tamen Praxeos parte, quæ victu ægros curat, eminuerunt. Jure merito igitur propter Gręci Hippocratis vestigia incedens alter Angliæ Hippocrates, Sydenhamius, acute ægrotantes, non ovis, non carnibus, non restaurantibus, non triticeo cibo nutriebat, sed avenaceis solummodo, aut hordeaceis. Eamdem Praxim, ut ut in multis a Sydenhamio diversi, Angli Celebres Medici servavere, Willis, atque Morthon. Primus hæc habet, ubi de curatio-

ratione continuarum (*a*). *Quare a carnibus convalescentes diu temperent* (si id convalescentibus jussum, quid putandum de actu febrientibus?) *iisque demum utantur, non nisi postquam urina fuerit sanorum similis, neque amplius a frigore turbetur. Et quidem tunc satis erit a diluto carnium jusculo incipere* (hinc videte, ut vir non modo de Anatome egregie meritus, sed suo ævo Praxi medica clarus, victum suis ægrotantibus administraret) *atque dein pedetentim ad alimenta fortiora ascendere*. Ubi vero de tertiana intermittente (*b*). *Secunda intentio* (erat hæc succi nutritii emendatio) *diæta, & exacta victus ratione optime perficitur, quæ in hoc morbo sit tenuis & parca oportet: quare vulgo dicitur: fames optimum hujusce ægritudinis remedium*. Neque putetis, hæc dictata, & Præcepta solummodo esse. Prostant, laudatis locis, observationes febrium feliciter curatarum, contra quas prædicta victus ratione celebris auctor usus est. Alter clari nominis practicus Morthon, de indicationibus curativis febrium intermittentium agens ita loquitur (*c*) *diæta sit admodum tenuis, uti Avenacea, Panatella, Hordeacea*. De febribus vero continuis (*d*) *Victus, licet ad spiritus refocillandos sæpius ministrari oporteat: unoquoque tamen pastu sit parvus admodum, isque tenuissimus . . . veluti Avenacea, Panatellæ, Hordeacea, liquor passeticus salvia alteratus, Cerevisia tenuis pane tosto calefacta, ala maciata, Ptisana*. Freind tandem hisce recentior, agens de secunda febre variolis confluentibus superveniente in epistola ad Clariss. Mead; haud, quidem, præcipit, quo victus genere, a-

 cuto,

(*a*) c. 11. (*b*) c. 4. (*c*) c. *6*. Exercit. 1. de febr.
(*d*) Exercit. 2. c. 7.

cuto ; vehementiſſimoque morbo laborantes alendi ſint, ſed, caſu, in prima hiſtoria narrat, quo victu æger ille uteretur : unde conjicere facile poſſumus, quam in nutriendis acute ægrotantibus methodum doctiſſ. vir ſervaret. Ait ille : *Victus tenuis, ſorbitioneſque vel Ptiſanæ, vel oryzæ, quæ diluerent, pro libitu indultæ*. Verum hiſce, licet vetuſtiores, accedunt quoque Gallorum prẹſtantiſſimi, Hollerius (*a*), atque Fernelius (*b*). Agens primus de febre continua putrida, in ea convenire ait juſcula e junioribus pullis Gallinarum, aut carne vitulina molliuſcula (meraca forte?) minime gentium ; ſed alterata acetoſa, lactuca, portulaca. Deinde de ardenti febre agens : *victus, potus ſit magis, quam cibus. Mulſa cocta, ſed diluta noſtro more, aqua cocta, modico ſaccharo condita*. Fernelius vero, quamvis ex iis, ut alias vobis dixi, qui tutiorem putant in acutis victum paulo pleniorem, ait : *omnis autem, febricitantium victus humidus, frigiduſque habendus eſt ex materia levi*. Quæ autem apud eum *materia levis*? *Mediæ vero materiæ* (ex hac de levi conjicite) *ſunt ipſa olera, deinde hordeum integrum . . . ab his panis medulla elota, & aqua cocta*. Quid porro recentiores Nobiliſſimi e Gallia Medici? Illuſtris Fagon (mitto celebrem Hecquetum, qui volebat ſanos quoque, Eremicolarum in morem vivere) illuſtris, inquam, Fagon, carnium jura febricitantibus aliena putabat. Sententiam eamdem tenuit Meritiſſimus Dodartius ; ac tandem, quod pro omnibus ſatis eſſe puto, Celeberrima Monſpellienſium ſchola eamdem doctrinam tuetur, eam-

(*a*) l. 2. de morb. intern.
(*b*) c. 11. method. Gener. cur. febr.

eamdemque ad Praxim traducit (*a*) . Sed jam tempus, locuſque omnino deſiderant, ut de re ſummi momenti ad acute ægrotantium vires ſpectante, vobis verba faciam.

V.

QUi acute ægrotant & febriunt, facillime, & ſæpiſſime de imbecillitate conqueruntur: verum non unica in iis cauſa imbecillitatis eſt. Plurimi, & ſæpius, ob vim morbi virium exercitium impedientis imbecilles ſunt: quidam, & rarius, ob vires exhauſtas, & materiæ, quæcumque ea ſit, iis inſtaurandis congruæ defectum. Qui vero virium defectu laborant; aut ante morbum a cauſis viribus inimicis vexati fuere; aut in morbo copioſiores evacuationes paſſi ſunt; aut vis ipſa, & indoles morbi ea eſt, quæ modo, nobis profecto incomprehenſibili, facultatem conſumit, atque proſternit. Hujuſmodi ſunt eæ mali moris febres (de peſtilentia, quam me nunquam viſurum ſpero, non loquor) quæ pulſus, & urinas ſanorum ſimiles habent: hujuſmodi illæ, quibus reconditi in viſceribus, & putreſcentes abſceſſus comites ſunt: hujuſmodi tandem; quamvis in iis fortius micare pulſus videantur; in quibus, ſymptomatice ictero ſuborto, reflua e jecore bilis ſanguinem, urinamque inficit, atque oculos, cutemque fœdat. Reliquis in acutis febribus, in quibus, primis præſertim morbi diebus, de imbecillitate lamentatur ægrotans, non ab exhauſtu, ſed ab impedimento debilitas eſt. Exemplis rem illuſtremus.

II. Qui-

(*a*) Vid. Tom. 2. Edit. 3. Traitè des alimens chap. 1.

II. Quidam hoc sero sanus & valens, lectum petit: cras a Rheumate, quod in brachii musculos decubuit, sinistrum brachium movere nequaquam potest. Vel, ne id ob dolorem fieri dicamus, non jam Rheumate, sed imperfecta Paralysi, quæ motum modo sustulerit, corripiatur: cras brachium nequaquam movere potis est. Quid? Num vires ei consumptæ sunt, deficiuntque? Minime gentium. Organa male affecta, ut vis movens, iis mediantibus operetur, minime sinunt. Quod de externis, visuique expositis instrumentis, idem de internis, atque ab oculorum acie remotis, quoque, dicite. Febre tertiana intermittente laborans, die, quo pejor est, vires sibi adeo succisas queritur, ut neque e pulvinari caput tollere possit. Cras, die integro, & sine labore in lecto sedet, & satis commode e lecto sæpius & repetito, ut assumpto laxanti & cortici obediat, surgit. Vires exhaustæ, qua, quæso, via rediere? Quispiam, & sanguine, & viribus nimium potens, in ætatis flore a forti Apoplexia necatur. Num vires, & virium materia ei defecere? Haud sane. Verum ob confestim a morbo impeditam virium omnium actionem, insperato, & citissime ad plures abiit. Ac non solum ægrotantes, & assidentes, sed nosmetipsi medici quoque hac super re aliquando fallimur, actionem virium a morbo, aut symptomate aliquo impeditam, virium defectui tribuentes. Et tamen in artis exercitio frequentius videmus, vires ægrotanti erigi, non ab iis, quæ addunt, sed ab illis, quæ materiam facultati demunt. Non infrequenter in febribus, morbisque acutis contingit, ut ægri, primis morbi diebus,

ad-

adeo ponderoſo , & gravi corpore ſint, ut difficillime ſe ſe attollere , & per lectum movere poſſint. Si etiam medici Cardiaca non præſcribant; quod tamen a quibuſdam , vel ſub morbi exortu fieri conſuevit ; præſto ſunt officioſiſſimæ mulieres, quæ virium imbecillitatem, defectumque cauſantes, frequentioribus juſculis, æquivocæ imbecillitati occurrere non deſiſtunt. Verum bis, terve emiſſo ſanguine, æger ad motus eos, quos vix ante præſtare poterat, promptior, expeditiorque eſt. Quæ, ſi Diis placet, imbecillitas iſta, quæ virium materiam , & quidem non parce demendo , tollitur? Ecquis, qui ratione utatur, copioſiore , aut valentiore alimonia huic imbecillitati ſuccurrat? Pleuritico excreatio difficilior eſt. Heu! clamant adſidentes, amabilioris præcipue ſexus: imbecillior eſt : juſculis tantummodo tenuioribus vivit: valentiora ea aliquanto eſſe debent. Interim medicus iterato ſanguinem mittit, & excreatio procedit. Quid! num *poſitive* adjiciuntur vires vaſa evacuando, & ſanguinem mittendo ? Haud per Herculem ; ſed evacuatio , quæ vires neque addidit, neque addere *poſitive* poteſt , impedimenta , & reſiſtentias actioni virium a morbo oppoſitas ſuſtulit. Clariſſime itaque patet, apparentem imbecillitatem non a virtutis defectu venire, ſed a morboſa cauſa, quæ virium exercitium impedit.

III. Quamvis hæc per ſe adeo luceant, ut uberiore lumine non indigeant; nihilominus argumento ab auctoritate deſumpto, eadem magis illuſtremus : auctoritas autem ea ſit , qua major in rebus Practicis eſſe non poteſt. Magnus Hippocrates de hac æquivo-

ca

ca in morbis acutis imbecillitate, expresse tractavit: de difficultate positivam a negativa discriminandi verba fecit; ac de erroribus, qui circa eas committi a medicis possunt, disseruit. Quamvis prolixior, nimis, non modo ad meum argumentum, sed cum ad vestram, tum ad ęgrotantium utilitatem facit Hippocraticus textus, ut illum huc totum non afferam: *neque enim talium rerum* (*a*) *peritos Medicos esse video, quomodo debilitates in morbis dignoscere oporteat, & quæ ex vasorum evacuatione efficiantur, & quæ propter aliam aliquam irritationem, & quæ propter dolorem, & præ acumine morbi. Itemque quot affectiones, & omnigenas species natura nostra, & habitus singulis pariat; & quidem quum talium cognitio, aut igorantia salutem, aut mortem afferant. Majus enim malum est, si ob dolorem & morbi acumen debilitato exhibet quis potum copiosiorem, aut sorbitionem, aut cibum* (vos probe meministis quid nomine potus, sorbitionis, cibique intelligendum sit) *ob vasorum evacuationem debilem esse existimans. Indecorum etiam est ob vasorum evacuationem debilitatum non cognoscere, & victu premere. Affert enim periculum aliquod & hoc peccatum, verum multo minus, quam alterum. Multo autem magis risu dignum hoc peccatum est, quam illud alterum. Si enim alius medicus, aut etiam idiota ingressus cognoverit ea, quæ contigerunt, & edenda ac bibenda dederit ea, quæ alter prohibuit, palam auxilium tulisse putabitur. Talia vero faciunt, ut artifices maxime ab hominibus vituperentur. Videtur enim ipsis ille, qui ingressus est medicus, aut idiota, velut mortuum suscitasse. Scribentur autem de his quoque signa, ex quibus singula dignoscere oportet.* Sed

signa

(*a*) tex. 22. de vic. acut.

ſigna hęc de quibus ſcribere ſpoponderat, in iis, quę habemus, ſive Hippocratis, ſive Hippocratis nomine inſcriptis libris, minime inveniuntur.

IV. Amatus Luſitanus (*a*) rem hanc, poſt Galenum, quem laudat, curavit. A pulſuum micatione diſtingui poſſe ait, num vires ob diſſolutionem, num vero ob oppreſſionem, ſcilicet, ob ſymptomatum vim, & morbi vehementiam, defecerint. Pulſus frequentes, parvi, ac languidi, diſſolutas: confuſi autem, qui aliquando funditus pereunt, aliquando intercidunt, aliquando ſublevantur, attolluntur que, oppreſſas, impeditaſque ſignificant. Quę doctrina, quamvis vera eſſet; quod tamen ipſe, neque negare, neque aſſerere auſim; ad rem noſtram minime facit. Cum enim nos loquamur de dubiis caſibus, raro, dum pulſus frequens, parvuſque, languide quoque micat, res inter dubias verſatur.

V. Si pręſcindamus a morbis, quos ſupra tetigimus, quorum natura, atque indoles viribus inimiciſſima, eas non modo impedire, ſed conſumere, & proſternere videtur; nullum certius ſignum de imbecillitate poſitiva haberi poſſe puto, quam ſi, aut cauſę exhaurientes morbum pręceſſerint; aut in morbo ipſo copioſiores, ſive ſpontaneę, ſive petitę evacuationes factę fuerint. Signa a ſolo pulſu deſumpta, omnino ęquivoca eſſe credo. Quicumque ſcit, quos luſus in acutis nobis ludant nervi male affecti, eum mecum facile in ſententiam iturum in animum induco. Reor propterea Galenum, & qui hunc ſequitur, Amatum, non jam ex iis, quę apud ęgrotantes vide-

 runt,

(*a*) Centur. 2. in Schol. c. 8.

runt, positivę, & negativę imbecillitatis signa exscripsisse; sed ea potius in musęo, & ad pluteum, ex ratione adornasse. Aut ipse nunquam vidi ęgrotantes acute debiliores redditos a vi, & acumine morbi; aut, qui ob vim & morbi vehementiam debiliores apparent, eos non habent pulsus, quos, post Galenum, Recutitus Lusitanus nobis descripsit. Atque hęc de difficultate prima ab Hippocrate in textu recensita: nunc alteri, haud minoris momenti, animum advertite.

VI. Audivimus Hippocratem edocentem, majus malum fore non egentem copiosius cibare, quam egentem tenuius: quin in dubio casu, cibum potius minuendum, quam augendum; cum error ille minor sit, quo exhaustum parcius, rigidiusque alimus, quam, quo non exhaustum plenius, molliusque tractamus. Quid ex hisce vobis videtur, Lectissimi Adolescentes? Num Hippocrates, qui minus malum putat exhaustum viribus victu premere, tenuius, scilicet nutrire, quam plenius eum cibare, qui non ob vasorum evacuationem, sed ob vim morbi debilis est, plenioris victus amantior esse potuit, quemadmodum a plerisque contendi scitis? Medicus in victu indulgentior, dummodo sibi constet, nunquam asserere poterit, minorem committi errorem, dum ęger, qui cibo eget, eo defraudatur, quam dum copiosius aliquando alitur, qui cibi minus indigens est. Si namque universim, generatimque, prę tenuiore, cibus plenior commodior, utiliorque est; tunc pręcipue commodior, utiliorque erit, cum cibo indigentior ęger est. Dialectici etenim eam illationem valere docent, quę *a dicto simpliciter ad dictum secundum quid* deducitur.

VII.

VII. Sed ſuper binis hiſce erroribus, de quibus Hippocrates, nolim putetis, me in illius ſola auctoritate conquieſcere. Ratio quoque, & quidem ſatis obvia, cum dictatoris noſtri auctoritate convenit. Error ille levior cenſendus eſt, qui facilius corrigi poteſt, quique minoris momenti damnum infert: porro error, quem committit medicus debilem ab exhauſtu tenuius alendo, & facilioris correctionis, & levioris damni eſt, quam ſi peccet copioſius nutriendo, qui copioſiore alimonia non indiget: ergo primus error, præ ſecundo, minus gravis cenſendus eſt. Dicamus primum de damno, tum de correctione dicemus.

VIII. Si quis æger, aut in eo morbo, aut eo morbi tempore debilis ab exhauſtu ſit, quibus v. g. tota Ptiſana convenit, Ptiſanæ ſucco ſolummodo alatur; damnum quod recipit in eo ſtat, ut vires non ſuſtineantur, quemadmodum ei opus foret, non vero ut illi detrahantur, quas habet, quod in hoc caſu, ſane, mortiferum eſſet. Ponamus enim eum ad circuitum ſanguinis commode perennandum, & ad morbum ferendum, octo gradibus virium opus habere; illi autem quatuor tantum adeſſe. Si ipſe parcitate cibi duos ſolummodo virium gradus adiicio; haud quidem tantum addo, quantum neceſſe eſt; ſed ex eo, quod habet, non demo, neque eum materia ſupervacua onero. Hoc damnum leve profecto nequaquam eſt: quia vires vitæ minus, quam par eſſet, validæ, longiore ſolummodo ſpatio morbum, ſi poterunt, illiuſque cauſam, ſubigere poterunt. Neque negandum morbum productiorem factum, in virium defectione, graviori diſcrimini ægrotantem ſubjicere. At multo gravius,

multoque celerius damnum eſt , quod conſequitur a copioſiore, quam vires deſiderant, morbuſque permittit, cibo. Additur enim, ubi non addendum, aut forte demendum adhuc eſt : quo omnino facit illud Hippocraticum (*a*) *cibus ſicuti ſano robur , ita febricitanti morbus* . Supervacua igitur materia ingeritur. Ideo ſcitiſſime Galenus (*b*). *Qui ob dolorem, vel morbi acumen parum valentem habent facultatem , vacuatione interdum magis, quam repletione indigent. Immo qui cibum his exhibet, magnum affert detrimentum*. De evacuatione *abſolute* non loquitur: ait, eam interdum neceſſariam eſſe : cibum autem *abſolute* damnat : *qui cibum his exhibet magnum affert detrimentum*. Præterea, vel cibus datus bonas ſubjicit vires, vel tumultuoſas ſolummodo, & irritamenta excitat . Si poſtremum : vel, me tacente, aperte videtis , id malum abſolute eſſe . Si primum : vires nimias ſufficit : motuum impetus, & momenta auget : materiem auferendam vehementius agit, & morbum acutiorem reddit . Si enim humor denſior , craſſiorque in morbi curationem extenuandus, fluxiliorque reddendus eſt; & ſolidorum reſiſtentia; & nimia tenſio laxari debent. Porro id obtineri non poteſt, niſi impetus, quo materies auferenda fertur, retundatur . Sed copioſior alimonia, aut valentior , ſi etiam in bonas convertatur vires , omnino contraria præſtat: magnum ergo detrimentum affert. Magnum ratione morbi ea reſpuentis : maximum vero ratione morbi temporis, ſi copioſior alimonia ingeratur, dum coctio, aut criſis morboſi humoris expectari poteſt. Quæ enim in pericula ægros conjiciat, aut

(*a*) 7. aphor. *67*. (*b*) Com. 2. de vict. acut. 48.

aut causæ morbi subactio, aut evacuatio impedita; notius est, quam ut dici mereatur. Præterea, nonne probabile est in tanta animalis œconomiæ perturbatione, ventriculum quoque male suo officio fungi? Porro, si male coquit, mali succi gignuntur, qui sanguinis fluentum ingressi, tantum abest, ut bona virium materia fiant, ut morbum potius, & morbi causam geminaturi sint. Hæc de damno: nunc de correctione.

IX. Ut primus error corrigi facillime possit, video: ut alter, me prorsus latet. Si enim animadvertat medicus, ægrum suum uberiore alimonia indigere; quid, quæso, facilius, quam ei tunc subvenire? Et augere potest cibi quantitatem; & sæpius ægrum alere; & valentiorem quoque, si id ei opportunum videatur, nutrimenti materiam præstare. At, ubi nimium ingestum est, atque a cibo abundantiore morbi status pejor evasit, quid, rogo, in acuto morbo agendum? Num abstinentia pugnandum est? Id profecto optimum, tutissimumque foret, si morbus inducias daret. Ast, ubi res redacta sit ad Triarios, agendum, non cunctandum est. Vis igitur est adhibenda, atque vel per alvum, vel per cutem, vel per vomitum, vel per urinæ vias, quod copiosius ingestum est, educendum. Id autem, susdeque habitis artis Regulis, atque ob eam solum rationem, qua in præcipiti periculo nihil interesse debet, an satis tutum præsidium sit, quod unicum est. Ex hisce quilibet noscere, & quidem facile, poterit, num facilior emendatu sit error, quem committimus parcius, quam æquum fuerat, debilem ab exhaustu nu-

trien-

triendo; an alter, quem patramus, justo uberiorem cibum ei, qui ob solam vim morbi debilis est, largiendo.

X. Post hæc videre potestis, quid sentiendum sit de usu jurium consumptorum, carnium contusarum, succorum e carne expressorum, & restaurantium, sine quibus, vix, quidam acute ægrotantibus medicinam faciunt. Quodque gravius est, iis utuntur, cum æger non positiva, sed negativa virium imbecillitate laborat; nempe, cum ob vim, acutiemque morbi debilis est. Quin, neque ab iis abstinent circa morbi vigorem; immo diebus iisdem, ab illis Criticis putatis, dum nempe salutares judicationes expectant, cibos eos ingerunt; cum tamen ex Hippocrate, deductisque ab eo viris, tunc cibus subtrahendus sit, quemadmodum audiistis; ne ingestus, naturam a coctione morbosi humoris, & cocti expulsione avertat. Hac de re si pauca subdidero, me haud temporis jacturam facturum puto.

XI. Perpetua observatio ab Hippocrate ad nos usque ducta (neque enim vetustiorem Scriptorem habemus, qui eam litteris consignaverit) nos docet, hac methodo naturam uti ad acutos morbos persanandos. Eos vincit morbosam materiem, quæ ægritudinis causa est, ab ægro corpore pellendo: eam vero minime pellit, nisi prius expulsioni dispositam, aptamque reddiderit. Hanc materiæ auferendæ dispositionem, coctionem, cum Hippocrate, dixere veteres; quemadmodum morbum crudum adhuc esse dicebant, priusquam per sua signa coctio de se significationem præberet. Quæ super hac coctione veteres disputarint, & dictu longum, & inutile foret. Sat vobis scire in præsen-

tia

tia fuerit, eam aptitudinem in extrudenda materia, & elaborari, & elaborandam esse, eamdemque per sua signa Medico observanti significari. Hoc posito, quod alias jam diximus; reliquas inter rationes, quas adducebant vetustiores Medici, ut, quantum fieri posset, acute ægrotantes tenuiter alerentur, ea erat, ne natura materiei morbosæ subigendæ, coquendæque intenta, alio, a cibo avocaretur, & ab incæpto opere distraheretur. Profecto modus iste loquendi, hodiernis plurimorum Physicorum auribus nequaquam bene sonat; nihilominus res, quam verba illa tegunt, & vera, & Physica est. Ut id pateat, eam matronali, sed vetusta nimium stola, spoliemus. Audite, itaque, me eadem, ac veteres, sed alio sermone, ut illa facilius intelligatis, dicentem.

XII. Vires vitæ, motus scilicet, tum solidorum, tum fluidorum corporis viventis, dum a materia aliqua corpori inexistente pervertuntur, ad normam non rediguntur iterum, nisi ab iisdem motibus materia eos turbans pellatur. Pelli autem non potest, nisi per eorundem motuum vim eo redigatur, ut per loca, ante impervia, transire queat, quæ ei transmittendæ, atque extra corpus ferendæ sunt. (En decantata humorum coctio, & in quo consistat). Mechanicum igitur est hoc virium vitæ opus, &, quoquomodo peragatur, mechanice peragitur. Quoniam igitur mechanicum est, & tempore opus habet, & data vi, ut dato tempore perficiatur; prætereaque necesse est, ut ne vis illud perfectura, ab agendo in materiam elaborandam impediatur; neve materies elaboranda, potentiæ eam elaboraturæ subtrahatur. Corpus

pus aliquod in pulverem conterendum ipſe in, mortario tundo: tundo autem ea vi, & piſtillo, ut horæ ſpatio illud in pulverem redigendum ſit. Interim, me nequaquam animadvertente, ac ne cogitante quidem, amicus joco, & furtim, aliud conſiſtens corpus mortario indit. Quid inde eventurum eſt? Corpus, quod horæ ſpatio data vi, datoque piſtillo conterendum erat, nonniſi, eadem vi, piſtilloque eodem, ſpatio longiore conteretur. Eccur autem? Quia novi corporis interjectu, actio, & vis piſtilli in primum corpus imminuitur, proptereaque a vi conterente defenditur, eique ſubtrahitur; ii etenim ictus, ictuumque gradus, quos novum corpus in ſe recipiendo conſumit, alteri ſubtrahuntur. Vis vero percutiens, relate ad primum corpus, eo magis, minuſve imminuta eſt, quo magis, aut minus corpus alterum furtim immiſſum, aut conſiſtentia, aut mole, aut utriſque, momentum in corpus conterendum impedit, magiſque, aut minus a vi percutiente illud ſubtrahit. Ipſe inexpectatam reſiſtentiam offendens, vi geminata in opus inſurgo. Sed, quid inde? a diuturno, & laborioſiore opere delaſſatus, piſtillum pono, corpuſque, conterendum, ruditer ſolummodo, & imperfecte comminutum, ſecerniculoque nondum aptum, relinquo. Solidorum contractiones, fluidorum impulſus, materiem morboſam, aut alicubi in corpore ſtagnantem, aut ſanguini fluenti confuſam, data vi agunt, urgentque. Subtiliora, activiora, abſtergentia, aquoſiora fluida, data vi eam penetrare, diducere & ſolvere nituntur. Verbo: natura materiæ morboſæ coquendæ, datis viribus allaborat. Alimoniam interim, aut nimiam,

aut

aut innopportune in venas immittit medicus. Ea tunc viribus, & actioni solidorum, fluidorumque subjicitur: partem illarum, eas in se recipiendo, consumit: sic potentiarum agentium momentum a materie morbosa avertit; atque prout alimonia crassior, aut copiosior, aut utrumque fuerit, vel prorsus non, vel vix, vetus vitiosa, & subigenda materies vires in eam agentes sentit. Verum res ultra procedit. Non modo a materie morbosa nequaquam subacta, sed ab alimonia quoque venas ingressa potentiæ agentes irritantur magis, atque excitantur. Si cito iis resistentia non auferatur, illarum vires consumuntur, exhauriunturque; nisus etenim, & labor, quo operantur, eas frangit; morbusque, qui forte sanabilis erat, ægro imbecilliore reddito, cum ægri morte finitur. Observatio, & monitum est Hippocratis: *debili evadente corpore morbus invalescit. Cum autem morbus corpori prævaluerit, tale jam incurabiliter effectum est* (*a*). Ita cibus copiosior, aut tempore inopportuno exhibitus coctionem impedit, morbum protrahit, & quandoque vires, quas Medicus damnose solicitus instaurare satagit, disperdit. Aliquoties mihi in Praxi observare contigit, idque in febribus continuis quidem, sed remittentibus; concesso ægris paululum copiosiore cibo, cum jam urinæ coctionis rudimenta exhibere cœperant, statim coctionis notas disparuisse, febremque prolixiorem, contra ac sperari, non sine ratione, poterat, factam fuisse. Ex huc usque dictis colligite, quod forte quibusdam Paradoxon videri poterit: si fieri posset, ut sine cibo necessariæ ægrotanti vires susti-

S

(*a*) tex. 35. acut.

ſuſtinerentur, & a ſanguine nimia ſiccitas, atque inde exoriens acrimonia arceretur, eam, inter alias, tutiorem, celerioremque futuram methodum acutas febres, morboſque ſanandi, quæ ægrotantes in perfecta abſtinentia contineret.

VI.

SEd jam ex me quæretis, ut in iis acute ægrotantibus, qui viribus exhauſti ægrotant, quique non a morbo, neque ob ſymptomata, acumenque morbi, ſed ob virium defectum imbecilliores ſunt, victus ratio inſtituenda ſit; ac quomodo ii tractandi, qui cibi parcitatem, ajunt, ſe ferre non poſſe. Opportuniſſime quæritis: primum etenim aliquando; ſæpius alterum in Praxi occurrit. Priuſquam tamen primæ quæſtioni reſpondeam, hiſtoriam a Galeno relatam (*a*) paucis quam potero, vobis ennarrandam, excutiendamque puto.

II. Juvenis viginti quinque annorum, gracilis, ſqualidus, ſiccus, a cauſis exſiccantibus, atque exhaurientibus continuam febrem contraxerat, quæ ſingulis diebus circa undecimam diei horam cum frigore recrudeſcebat. In febris decurſu cutis arida ægrotanti erat. Diatritariis ſe ſe iſte commiſerat (Schola erat methodicorum, Romæ, Galeno ibi degente, florens, qui niſi tertio die, & quandoque non niſi exacto, ægris alimoniam porrigebant, ideo diatritarii, & diatriti Cultores dicti). Cum iſti primis duobus diebus ægrum ſine cibo reliquiſſent, tertii quoque diei acceſſio-

(*a*) 10. metho. c. 3.

cessionem sine alimonia transigendam esse censuerant. Digressis autem illis ab ægro, accessit Galenus, qui nactus hominem Hippocratica, ob debilitatem, facie turpem, timuit ne hecticam, aut marasmum incurreret. Sorbitionem itaque illi, non ex hordeo, sed ex alica paratam dedit. Febris stata hora accessit; atque cum pulsu admodum parvo, & raro, ita extremis artubus æger perfrixit, ut vix incalesceret. Quarta die, bis, eodem modo illum cibavit; quinta autem, non amplius sorbitione, sed alica integra ex aqua calente uti cœpit. Usque ad undecimam ita ægrum aluit, clamantibus interim diatritariis, copiosius ægrum ac perverse nutriri; præsertim, quia paulo ante accessionem Galenus cibum ei dabat. Galenus, qui facto potius, quam verbis statuerat & diatritarios inscitiæ errorisque arguere, & reliquis ostendere se probe egisse; cum anteactis diebus observasset ægri pulsum aliquanto firmiorem factum, licet debilis adhuc ille esset, extremisque partibus frigidus; ante accessionem undecimæ diei illi cibum minime dedit. Accessit febris, sed cum pulsus abolitione, ac totius corporis frigore; jamque æger nec loqui amplius poterat, nec impellentes sentiebat. Tunc convocatis diatritariis, cubiculoque, ne se se subducerent, ut re comperta, visoque ægro affectaverant; clave firmato; ostendit, quo in loco res ægri forent, quia eum ante accessionem, ut prægressis diebus, minime nutriverat. Eodem tempore & eos, & alios docere volens in ipsa accessione, imbecillitate urgente, ægros non modo posse, sed nutriri debere; diductis homini maxillis, ex oris angustioris vasculo ei infu-

dit cremoris Ptiſanæ, non alicæ, cyathos tres, ac binos cyathos albi, tenuiſque vini, calida modice diluti. Æger inde palpebras attollere, audire, loqui, & noſcere adſtantes cœpit. Poſtea ex vino eodem modo diluto, paululum panis ei comedendum dedit; ſicque a mortis confinio revocatum, alica ut ante, cibare perrexit, donec decima ſeptima die prope bene ſe haberet. Sed habetote etiam quantitatem Cremoris, & vini exhibiti. Cyathus, antiquis, erat menſura æquivalens quadraginta ſcriptulis, ſeu ſcrupulis, ut hodie dicimus; eoque ægrotanti tunc ſorbendos dedit Galenus Cremoris ſcrupulos centum, plus viginti, nempe uncias quinque, & vini aliquanto plus, quam tres uncias.

III. Occaſio hic ſe ſe offert, ut datam vobis fidem liberem, ac tandem de alica loquar, quemadmodum me facturum ſub initiis diſſertationis ſpopondi. Ex modo, quo Hippocrates, Celſuſque de ea loquuntur, videtur eſſe non quid arte comparatum, ſed quoddam frumenti genus; cum frumentaceis enim eam nominant. Ita Hippocrates ſecundo de diæta textu ſeptimo de panibus loquens: *ſimilaginei omnium horum fortiſſimi ſunt, & adhuc magis, qui ex alica fiunt*. Textu vero octavo: *ſimilago, & alica cocta, fortia ſunt, & alunt*. Celſus (*a*) grana inter frumentacea alicam ponit: *cumque panificia omnia firmiſſima ſint, elota tamen quædam genera frumenti, ut alica, oryza, Ptiſana, vel ex iiſdem facta ſorbitio* &c. Ita quoque Galenus: *alica eſt genus tritici* (*b*). Quid, quæſo, apertius? alio tamen loco, ut mox, aliter ſe ſe explicat. Dioſcorides (*c*) & Plinius (*d*) diverſa docent: *alica fit ex Zea, quam dicoc-*

(*a*) l.2.c.18. (*b*) 1. de alim.fac. c.3. (*c*) l.2.c. 118. (*d*) H.N.l.18.c.11.

dicoccon appellavimus. Ita primus: alter vero, nedum ait alicam ex Zea fieri, ſed modum quoque, quo ope cretæ fit, deſcribit: illius diverſa genera recenſet: loca ubi optima conficitur laudat; ac de adulterina, ac quemadmodum adulteretur verba facit; omneque alicæ, ſive genuinæ & perfectæ, ſive arte vitiatæ opificium ita ſubtiliter proſequitur, ut de illa perfecte doctus videatur. Ait præterea, quod & ſupra dixerat, Zeam, unde alica, Semen ſimpliciter, ac ſi diceret, antonomaſtice, dici, eamque *Palmam frugum* vocat. Mirum tamen, Galenum Plinio recentiorem, atque rerum naturalium æque avidum indagatorem, Romæque non pauco tempore commoratum, cap. decimo ſecundo laudati libri ſatis longo, quod ferme totum tractatio de Zea occupat, de confectione hac alicæ ex Zea, ne verbum quidem; quamvis inde clare colligatur, alicæ nomen, nequaquam peculiaris alicujus frugis eſſe; ſed ita vocari granum eſculentum, quod ex alio Cereali ſemine non ita vocato elaboratur, & fit. En ejus verba: *Sunt autem & alia permulta ſemina prædictis quidem adſimilia, non tamen eadem penitus ſpecie, quæ partim in hordei, ac typhæ; partim in typhæ olyræque, aut olyræ & tritici medio ſunt loco. Quædam vero ad olyræ; alia ad hordei, aut typhæ; alia ad tritici, ceu alia ad panici, alia milii naturam proxime accedunt, quæ nomina habent; alia ſimplicia, ut in Italia, ex quo alicam faciunt; alia compoſita, ut in Cappadocia, quod vocatur Gymnocrithon, ideſt, hordeum mundum*. Si revera ex Zea alica fieret, nonne mirandum eſſet, Galenum ferme toto hoc capite de Zea agere: alicam ibi nominare: aſſerere eam ex ſemine quodam

conſi-

confici, neque ſubdere, e Zea alicam fieri? Hæc per tranſennam dicere volui; non quia noſtra plurimum ſcire interſit, quid fuerit famigeratum hoc antiquorum alimentum; ſed ut obiter obſervetis, cum de naturali hiſtoria agitur, non pauca in veterum libris inveniri, quæ conjecturas noſtras exercere utique poſſunt, certo autem determinari, & cognoſci non poſſunt. Sat nobis ſit ſcire, alicam fuiſſe Cerealem cibum, valentioris, præ hordeo, ſubſtantiæ: ex ea, ſuccum, ſeu cremorem, ut ex hordeo, antiquos parare ſueviſſe; ac methodicis, contra, ac dogmaticis, illam magis, quam hordeum in uſu fuiſſe, quia putabant, falſo tamen, Ptiſanæ vim adſtringendi eſſe; eoque acutis ægritudinibu, quas a ſolidorum ſtrictura deducebant, Ptiſanam alieniorem fore. Unum addam, putaſſe Plinium (*a*) Alicam Græcis vix in uſu fuiſſe, eamque a Romanis inventam: *Alica res Romana eſt, & non pridem excogitata, alioquin, non Ptiſanæ potius laudes ſcripſiſſent Græci*. Si vera ſunt quæ Plinius habet, dicendum eſt, librum 2. de diæta Hippocrati adſcriptum, quem Hippocrate dignum putat Galenus (*b*) vel Plinii tempore nondum extitiſſe, eoque junioris alicujus opus fore; vel a Plinio lectum minime fuiſſe. Idem de libro *affectionum* dicite. Nunc ad Galeni hiſtoriam.

IV. Juvenis ſqualidus, exuccuſque a cauſis exhaurientibus continua febre laboravit, quæ intra vigeſimum finiebatur. Laboravit ergo morbo ſimpliciter acuto, cui, ex Hippocratis doctrina, ſaltem in principiis, & declinatione, tota Ptiſana commodior erat.

Dixi

(*a*) H. N. l. 22. c. 25.   (*b*) l. 1. de aliment. c. 1.

Dixi *in principiis*, & *declinatione;* quia, ut noſtis, ex eodem magiſtro, in incremento, & vigore morbi, victus acute ægrotanti demendus eſt. At cum cauſæ exhaurientes febrem præceſſiſſent, cumque æger omnimoda abſtinentia per duos, cum dimidio, dies afflictus fuiſſet, atque Hippocratica facie imbecillitatem poſitivam præſeferret, quam non morbus, ejuſque vis, ſed antecedentes cauſæ, & perverſum diatritariorum regimen induxiſſent; Ptiſanam ei victum ſufficientem nequaquam futurum Galenus putavit. Ex valentiore ergo alimonia cibus ægro parandus erat: Porro ex antiquorum ſententia, hordeo alica valentior eſt. At tertio, & quarto die, ex iis, quæ Galenus in hiſtoria habet, febre vehementiore ægrum laboraſſe oportuit. Alica igitur integra alimonia æquo valentior ilii erat. Sed cum quinta die febris remiſſior eſſet, ægerque imbecillior foret; alicam integram conducibilem exiſtimavit; a quo victu obtinuit, ut pulſus firmiores evaderent. Propterea, præſcindendo a die undecima, de qua infra, ea ægrum nutrire perrexit diem ad uſque decimum ſeptimum, quo, ut idemet Galenus ait, convaleſcentium victui ægrum admiſit. Videtis, Galenum victum pleniorem ob exhauſtas vires, & minorem morbi acutiem conceſſiſſe, ſed tamen intra terminos victus e frugibus conſtitiſſe, qui animali cibo invalentior eſt. Vires deficientes, pleniorem utique cibum deſiderabant; ſed ex materia, quæ morbo acuto alienior non eſſet; non autem ex ea, quæ victum ſanorum, & convaleſcentium conſtitueret. Cum igitur ægris, quorum vires debiliores ab exhauſtu fuerint, medicinam vobis facere

conti-

contigerit ; & viribus , quæ victum pleniorem desiderant, & morbo quoque attendite , victuque pleniore utamini , parum , & sæpe , ut cum senibus fit , offerendo ; sed intra aptæ materiæ terminos ; quos intra , tantum abest ut coerceantur jura valentiora , carnium expressi succi , carnes contusæ , restaurantia ; ut hæc sacram extra lineam longe , lateque vagentut .

V. Sed illud , quod undecima morbi die patravit Galenus , seriam animadversionem non modo poscit , sed flagitat . Ajo cum primis , tunc nequaquam probi viri munere Galenum functum fuisse . Quid ? Procurato ægrotantis summo labore , & discrimine , suam sententiam tutari honestus medicus poterit ? Id profecto inhumanum , iniquissimumque est . Neque valet responsum , quo se pręmuniit Galenus : sibi , scilicet , prænotum fuisse , ægrum etiam sine cibo superfuturum . Conjectari enim poterat ægrum accessionem superaturum , certo autem noscere non poterat . Porro tenui , ut ita dicam , conjecturæ filo ægri vitam concredere in propriæ opinionis gratiam , viri est humanum corium vili admodum in pretio habentis . Quod si etiam , non conjectari , sed id certo præcognoscere potuisset : an nihili faciendum est , ægro , quem levare debemus , laborem , data opera , & morbum augere ? Num ægri pavor , adsidentium formido , num dolor , & animi domesticorum angustiæ , gerras inter , nugasque censendæ sunt ? Trabali clavo cordibus vestris , ne unquam inde excidat , Humanissimi Juvenes , figite ; medico , qui vir probus & esse , & haberi cupit , nunquam tanti suas opiniones esse faciendas , quanti ægrum .

VI.

VI. Animadvertatis insuper velim, præcepto Hippocratis de cibo in febrium, morborumque acutorum accessionibus non offerendo, quod unum est ex præcipuis in Praxi, atque firmioribus, aliquando non modo posse, sed derogari debere: adeo verum est Celsi monitum, Medicinam, scilicet, vix universalia præcepta recipere. Cum igitur *positiva* imbecillitas urget; cum prægressæ accessiones ostenderint, sive ex temperamento, sive qualibet ex alia causa, quæ perduret adhuc, id contigerit; ægrum, ni paulo ante accessionem nutriatur, in Lypothimiam, aut syncopem, Paroxismo obtinente, labi, necessitati obediendum est; ac non solum accessione instante, sed etiam in accessione ipsa est nutriendus. Indicatio *vitalem* quam dicimus, dum urgeat, inter reliquas præcipua semper habenda est; ni etenim extemplo ei satisfiat, tempus medicum deficere potest, quo alias adimpleat. Non modo ridiculum, sed vesanum foret, dum domus ardet, incendiarium persequi; aquam autem, & alia necessaria ad extinguendum ignem nequaquam expedire, & afferre.

VII. Ratione itaque, ac necessitate, quæ tunc sola operandi norma est, id exigente, atque exemplo Galeni, in ipsa accessione ægri aliquando nutriendi sunt. Hisce autem in casibus mihi videtur alteri Hippocratis animadversioni locum esse debere: *potentia alimenti melior est*, *quam moles* (*a*). Pro potentia autem, nequaquam validiorem alentem substantiam intelligo, quæ virium labore opus habeat, ut in animalem succum mutetur; verum, quæ spiritibus, viribusque a-

T mi-

(*a*) de alim. tex. 10.

micior, iis auxilio expeditissime itura sit. Juscula cum ovis recentibus, succoque Citriorum, Limonum, aut aceto ipso condita: spiritu essentiali melissæ, aut aqua cinnamomi spirituosiora reddita: odori, succulentique fructus: oryzæ, Ptisanæque Cremor syrupo rubi Idæi gratior redditus; ac, quod vel solo odore ægrotantium vires erigit, vinum, panisque subtilissimæ torrefactæ offulæ ex eo madidæ, commodissima huic intentioni sunt. Ajebat Hippocrates (*a*) *quicumque veloci appositione opus habent*, *his humidum ad reficiendas vires medicamen optimum*: *quicunque vero velociore adhuc indigent*, *per olfactum*.

VIII. Quærebatis insuper, ut ii ex acute ægrotantibus tractandi sint, qui cibi parcitatem se ferre non posse ajunt. Querimonia hæc, neque ab iis, qui acutissimis, neque ab illis, qui acutioribus morbis laborant, audiri solet: isti fere cibos, aut respuunt, aut non expetunt. Frequentior ea est acutis simpliciter non admodum vehementibus afflictis, & febribus intermittentibus exercitis. Ut igitur a medico cibum extorqueant, se plus æquo debiliores esse lamentantur. Medicus tunc consideret, num revera querulo ægrotanti vires desint, num morbus, aut symptoma aliquod eum debilem faciat: vel, num forte putet se debilem esse, & tamen non sit. Si vera debilitas, & a virium defectu est, quam vel morbi antecedentes causæ, vel evacuationes, sive spontaneæ, sive arte quæsitæ fecerint; ad acutiei gradum, morbique qualitatem respectu habito, aut copia cibi augenda, aut valentior offerendus, aut parum, & sæpius dandum.

Sin

(*a*) ibid. tex. 11.

Sin vis, & acumen morbi, aut ſymptomatis vehementia ægro imbecillitatem ferat; querimoniis aures ne præbeat Medicus, viamque, quam ingreſſus eſt, inſiſtat. At caſus eſt, cum ægri ſibi debiles eſſe videntur, nec tamen ſunt. Res ita ſe habet. Obſervavit Galenus (*a*) quod a me quoque aliquoties obſervatum eſt; eos, quibus venter parvus, & gracilior eſt, ubi ventriculus ſine cibo fuerit, pondus, & ſuſpenſionem viſcerum ſentire; viſcera vero non amplius pendula ab iis percipi, ſed confirmari, ubi cibo ventriculus refectus fuerit. In ventrioſis autem id minime contingere; quia venter magnus, ſcilicet craſſius omentum, & interjecta interaneis pinguitudo, viſcera firmat, & ſtabilia retinet, quamvis cibo vacuus ventriculus fuerit. Ballonius quoque (*b*) adnotavit, quoſdam ſqualida habitudine, & melancolicos (hiſce profecto abdomen, neque magnum, neque ſucculentum eſt) poſtquam tulerunt unius alteriuſve diei abſtinentiam, exiſtimare ſua ſibi pendere naturalia viſcera. Ægri itaque hujuſmodi, hunc ſuſpenſionis viſcerum ſenſum, ſenſum imbecillitatis eſſe arbitrantur. At ſi arteriarum micationes æſtimabitis; ſi carnium calorem; ſi oculos, qui, prout valuerint, ita ex Hippocrate (*c*) & corpus; ſi vocem; ſi muſculares, quos edere poſſunt motus; nullam gravioris imbecillitatis notam omnia hæc præſeferre percipietis. Valentiore alimento iſti nequaquam indigent: egent tantum, ne ventriculus exinaniatur, & collabatur. Tunc, ut ajebat Hippocrates (*d*) *moles alimenti me-*

T 2 *lior*,

(*a*) Com. 2. de vict. acut. 31.
(*b*) l. 2. Conſil. 16.
(*c*) 6. Epid. ſect. 4.
(*d*) de alim. tex. 10.

lior, *quam potentia*. Facultas igitur alimentosa tunc minuatur, ac moles alimenti augeatur, ut ventriculus diu extensus maneat, & molestus suspensionis sensus a visceribus avertatur. Id commodissime, nisi aliunde prohibeatur, usu olerum præstari posse mihi videtur. Cum exigui nutrimenti hæc sint, cumque illud exiguum voluminiosiore mole comprehendatur; ea mihi esse videntur, quæ volumine ventriculum extendere, eumque extendendo, reliqua interanea firmare, & illorum suspensionem imbecillitatis sensu fallentem, aut prevenire, aut tollere: neque ex altera parte, aut copia, aut valore substantiæ; & viribus subigenti bus resistentiam; & coctioni impedimentum ob icere valeant.

IX. Vos nunc mecum factum quoddam examini subjicere posse reor, quod in quorumdam Praxi haud raro occurrit. Quidam, cum ad acute ægrotantem accedunt, si forte is opipare, lauteque vixerit, & de sanguine illi mittendo agatur, præcipiunt, & quidem jure optimo, ut copiosius mittatur, quia, qui genio indulgent, sanguine, si cætera consentiant, & quidem vividiore, abundare solent. Nihilominus, sive ante, sive post sanguinis missionem: aliquando, & ante, & post, juscula ex animalibus, nec sine ovo, sorbenda prebent, plenioremque victus rationem præscribunt. Attendite, quæso, quid nunc mihi veniat in mentem. E vase, cui aqua inest, viginti, aut triginta aquæ uncias educere ipse in animo habeo. Antequam hanc mihi propositam quantitatem aquæ educam, selibram vasi infundo, tum aquam ad uncias triginta educo. Qui ad hunc modum me agere videt, me nequaquam

velle

velle vaſis aquam triginta unciis minorem facere profecto aſſeret. Vel, ſi mavultis, triginta unciis aquæ eductis, ſex, ſeptemve uncias novæ aquæ vaſi infundo, paucoque poſt tempore, iterum, totidem. Quid ludis, inquiet, qui me obſervat? Abi, ſodes, equitatum cum pueris in arundine longa. Vis, non vis, deples, imples. Ex Homero, qui ſcite adeo naturam pinxit, facile mutabiles ſunt mentes juniorum (*a*). Ad eumdem modum operantur Medici, de quibus ſermo eſt. Quaſi ludendo, datam ſanguinis quantitatem ægrotanti demere volunt, tum nolunt, atque ablatæ partem non exiguam reſtituunt. Id joco nequaquam fit, reſpondet aliquis, ſed ſerio, & ſumma cum ratione. Ita præcipiunt, ne ægro contra conſuetudinem, qua copioſiore, & uberiore alimonia vaſa implere ſolebat, eadem, & ſanguinis miſſione, & tenuitate, ac parcitate alimenti nimium exhauriant. Ita ne? At, an ſatius non erat ſanguinem minus copioſe demere? Sed quæro: num differt evacuatio, quæ vena pertuſa fit, ab ea, quam victus tenuior, vel abſtinentia infert? Differt ſane. Quam vena ſecta facit, acervatim, & ſpatio breviore fit: quam abſtinentia, victuſque tenuior, paulatim, & ſpatio longiore perficitur. Diſtinctionem probo. At ſi conſuetudini parendum eſt, magna evacuatio, & confertim facienda non eſt, quia conſueta paulatim ex Hippocrate mutanda ſunt, eoque ſanguinis miſſio copioſior minime inſtituenda, cum per eam ſtatim ad inſueta tranſitus fiat; victus autem tenuiſſimus, vel ipſamet totalis abſtinentia imperanda, cum hæc paulatim evacuet. Res igi-

(*a*) Iliad. 3.

igitur eo deducta est, ut vel dicendum sit, eos jocari; vel dandum, solitam uberiorem, lautamque alimoniam, in acutis, copiosiorem sanguinis eductionem non postulare; vel velis, nolis inferendum, pleniorem victum huic ægro post emissum sanguinem alienissimum esse.

X. Nescii vos nequaquam estis, me de omnibus honorificentissime loqui suevisse: clam vos non est, ut castigate in verbis me geram, ubi aliorum sententias minus probem, ab iisque discedam. At nunc, si quod mei muneris est: si profectus vester insuper habenda nequaquam sint; quod sentio libere dicendum mihi est. Adeo Medici hujusmodi in ratiocinandi arte excellunt, ut ex uno, eodemque principio, non modo diversas, sed contrarias conclusiones proliciant. Ab una eademque consuetudine opipare vivendi, curandique cuticulam, modo magnam vasorum evacuationem, modo parvam præstandam concludunt: magnam, acervatimque factam, per venam sectam: parvam, per victus minus tenuem quam morbus ipse, & causa morbi poscunt, obtinendam. Sic idem sanguinis in quantitate vitium oppositas indicationes eis subjicit. Vos forte scire percupietis, unde hæc inter se pugnantia veniant, & qua, monstra isthæc in artem irrepant. Quod sentio accipite. Non exigua illorum pars, qui medicinæ se addicunt, ad eam accedunt necessariis disciplinis minime instructi. Putant rationalem hanc artem per se consistere, neque aliarum disciplinarum commercio, & necessitudine egere; cum ea contra, e pluribus aliis facultatibus confletur, atque ex illarum unitate, ut ita dicam, emergat. Ideo sat illis

est

eſt doctoris gradum ſuffuratos potius, quam adeptos fuiſſe, ut inde ad Clinicum aliquem accedant, ægros cum eo inviſuri. Bona Praxeos ſemina Chiron expertus ſpargit; at ager, cui ea concreduntur, nequaquam excultus, lætas, copioſaſque ſegetes ferre non poteſt. Tempus ſtudendi iis, quibus ſtuduiſſe oportuerat, elapſum jam eſt. Tunc Scriptores Practici evolvendi, qui ea, quæ lectori deſunt, ſupponunt, non docent. Proprio marte, aliquo poſt tempore, ægrotantibus manus admovent. Tunc, modo tempus, modo voluntas, modo utrumque deeſt, iis navandi operam, quibus carent. Pharmacopęę, antidotaria, Lexica, quibus materies Medicinalis edocetur, adeunda neceſſario eis ſunt, ſi ex ſolis ſaltem remediorum, morborumque titulis, medicaturi; aut in doſibus remediorum; aut in formulis concinnandis, & materia medica adminiſtranda falli nolint. Ita Praxim ingrediuntur, ita progrediuntur, ita in ea conſeneſcunt. Citharam, quam juvenes male pulſare cœperunt, male pulſare ad ſenectutem pergunt. Vos, Juvenes optimi, qui nondum e portu ſolviſtis, a naufragis, quos e ſummo littore videre poteſtis, edocti, ne in altum, niſi commeatu, & neceſſariis armamentis navi probe munita, vos provehi ſinatis. Dum tempus ſuppetit, illud Comici veriſſimum cogitate:

Feliciter ille ſapit, qui periculo alieno ſapit.

Summa Principis munificentia, quęcumque vobis ex uſu, & neceſſaria eſſe poſſunt, hic, non jam vendibilia exponit, ſed ſine pretio ſumenda abunde largitur. Ea vobis ſolicite comparetis, ne illa neglexiſſe, aliquando vos & pœniteat, & pigeat, & pudeat.

VII.

VII.

HIppocratis methodus, quemadmodum ſub initiis dixi, ea erat, ut ægrotantes, quorum morbus acutiſſimus non eſſet, nec ſtatim vigorem adipiſceretur, neque circa quartum judicaretur, eo incipiente, aliquanto plenius aleret, ut ita ſine periculo proiciundarum virium, dum in ſtatu foret, & paulo antequam eo pertingeret, victum extenuare, & ſubtrahere poſſet, ne naturam a criſi tunc expectanda, avocaret. Nil magis, immo id unice inculcat Galenus; præcipue primo de Criſibus, ubi hac de re agit, quam ut Medicus futurum morbi ſtatum prænoſcere curet, ut inde alendi ægri rationem inſtituat, atque ita incipiente ægritudine ſe gerat, ut cum opus fuerit, in tempore cibus dematur. Vos forte admirabimini, ſi vobis dixero, nos hac methodo uti nequaquam poſſe. Ita eſt, Studioſiſſimi Juvenes: rei autem rationem paulo altius repetitam accipite.

II. Hippocratem, ad morbos acutos, pauciſſimis omnino remediis, iiſdemque rarius uſum fuiſſe, ex aphoriſmorum libris, atque ex hiſtoriis, primo, præcipue, & tertio Epidemicorum relatis apertiſſime conſtat. Quamvis veritas hæc ex aliis quoque Epidemiorum eluceſcat; eos libros laudare volui, qui, Galeno auctore, genuinum opus Hippocratis ſunt. In acutis itaque morbis, aut totam, aut ferme totam curationem naturæ imperio, atque, ut ita dicam, manibus, relinquebat, cunctandoque potiſſimum, medebatur; quapropter illius Praxim ab Aſclepiade per ludi-

ludibrium, mortis meditationem vocatam fuiſſe accepimus. In eo igitur totus erat, ut viribus tantum naturæ medicatricis conſuleret, ne ad Criſeos opus langueret, neve intempeſtive, alimonia ægro exhibita, ab eodem opere diſtraheretur. Ob id etiam, ſi quid circa ægrum agendum videretur, ut id inchoante morbo præſtaretur, præcepit. Ob id rarius, vel ſub ipſis principiis morbi, nec niſi turgente, ut ille ajebat, materia, purgantia danda eſſe docuit. Ob id circa venæ ſectionem in acutis celebrandam tot adjuncta ſervanda tradidit, ut inferendum ſit, vel hujuſmodi auxilio rarius ad acutos morbos eum uſum fuiſſe. Neque enim, ut ſanguinem mitteret ſat ei erat, ſi morbus acutus foret: vehemens inſuper eſſe debebat; atque eo correpto, & ætatis flore, & firmis viribus gaudendum erat. Ita ille (*a*) *Verum in acutis morbis ſanguinem detrahes, ubi morbus vehemens fuerit, quique ipſum habuerint in flore ætatis fuerint, & robur ipſis affuerit*. Cujuſce præcepti rationem inquirere hujuſce loci non eſt. Relate ad Catharſim, & venæ ſectionem in acutis ab Hippocrate celebratam, diverſa tradidit Galenus, & poſt eum Doctiſſ. Freind. At vos, ſi vultis, videre poteritis, quæ ante plures annos Freindio ipſe repoſuerim in Epiſtola Decadi mearum Obſervationum annexa: *De vera Hippocratis Doctrina circa venæ ſectionem, & Catharſim in febribus*.

III. Cum igitur morborum, naturęque motus minus turbaret, facilius (rem tamen factu ſemper oppido difficillimam) morborum tempora, non modo noſcere, ſed præcognoſcere poterat, eaque victus ratio-

V

(*a*) tex. 35. acutor.

tione, quæ dato morbi tempori conveniret, uti, atque illa prædiſponere, quæ morbi vigori commodiora cenſeret. Sed cum hac medendi methodo in hodierna Praxi minime utamur, medicemurque agendo potius, quam cunctando, ut, ſi fieri poſſit, morborum futura tempora præcidantur, quod, ſi non ſemper, aliquando reſpondet, id Galeno (*a*) quoque obſervante; fit ut tempora morbi plurimum turbentur. Quorum turbatorum cum præcognitio haberi non poſſit; neque poſſumus rationem victus ita inſtituere, quemadmodum tempora hæc minime turbata, ſeſeque ordine invicem excipientia, ex Hippocratis mente, deſiderarent. Videbitis, ſtudioſi Juvenes, cum ad ægrotantium lectulos accedetis, eos, modo a venæ ſectione, modo a Catharſi inſtituta melius degere: Vos putabitis, morbo vires jam ſuccisas fuiſſe, eumque ad declinationem vergere. Sed dubio procul (idque non ex libris, ſed ex Praxi ipſa vobis affero) plurimum ſæpius in judicando fallemini. Continget enim, ut poſtridie, caput quemadmodum dicitur, iterum attollat; quemque vos fractum ad inclinationem progredi putabatis, augeri adhuc, vireſque acquirere mirabimini. Quamvis ad hunc locum proprie non pertineat, non poſſum, quin data occaſione, huc vobis afferam utiliſſimum Clariſſ. Tozzi (*b*) monitum: *Cum nulla ſit evacuatio tam mala, quæ ſaltem ipſo eodem die ægro contuliſſe non videatur, monendi ſunt, qui ſtatim ab egeſtionibus quodammodo relevantibus certam infirmis ſalutem pollicentur* (nos dicemus: morbi remiſſionem ſibi pollicentur) *ne tam faciles ſint in ferendis hujuſmodi præ-*

(*a*) De optim. ſect. c. 47.

(*b*) ad 2. aphor. 1.

præsagiis (hic nos : ne de morbi impetu fracto facile spem concipiant) *nisi de firmitate constiterit*. Evacuationes relevantes, quoquo modo eæ prolicitæ fuerint, tantum significant, jure, & loco factas fuisse; cum quæ inopportune, & absque ratione fiunt, & ex Praxi, & ex Hippocratis documento, quod vobis notum ex aphorismis puto, neque conferant, neque ab ægris facile tolerentur. Tantum vero abest, ut spes de tota morbi summa, & læta judicia subjicere possint; ut paucissimi sint, qui moriantur, absque eo quod mollitæ evacuationes aliquod, brevi tamen durans, levamentum minime tulerint. Sed ad institutum redeamus. Nos diversis morbi acuti temporibus Hippocraticum in morem cibum aptare minime possumus, quia turbata morbi tempora præcognoscere nequimus. Consilium igitur in arena capiemus; proutque morbus se se nobis manifestarit, speciei morbi convenientem victum administrare etiam, atque etiam studebimus. De Hippocratica, enim, victum in acutis constituendi methodo, eadem omnino dicere possumus, quæ Clariss. sui ęvi Practicus Fernelius (*a*) de Asclepiadis methodo tradidit: *Sed hæc fuit olim eorum doctrina, qui purgantia, aliaque medicamina ex arte sustulerunt, omnem prorsus curationem uno victu moliti*.

IV. Verum enim vero hic nos, quasi per transennam, Quæstionem proponere, atque excutere possumus. Num, scilicet, Medicus omnino Hippocraticus, & cunctationi unice insistens, eoque neque morbum, neque naturam remediis turbans, quique hac de causa morbi tempora præcognoscere, quamvis, ut alias

 dixi,

(*a*) Method. Gener. curand. febr. c. 11.

dixi, id ſemper difficillimum ſit, poſſit, ex ratione agat in morbo non acutiſſimo, ſi ægrum, morbo incipiente, plenius alat, ut deinde circa morbi vigorem ei cibum detrahere poſſit, ne natura ab elaboranda, promovendaque Criſi revocetur. Videtis, me nunc contra Hippocratem quæſtionem movere, ſine quo, ut in iis, quæ ad Praxim, ipſe ferme loqui erubeſcam, nemo vobis melius ſcire poteſt, qui ad me audiendum benigne adeo accedere conſueviſtis. Nihilominus cum tanti auctores nunquam ipſe fecerim, quam veritatem, aut quæ veritas mihi videtur; hanc, etiam contra Magni Magiſtri auctoritatem, indagare audebo. Præterea, ſi Hippocraticam methodum Praxi, & factis non comprobamus; ea etenim nequaquam utimur; eccur vetitum erit eamdem verbis modeſte, & debita cum reverentia excutere, & examinare? Rem autem conficiam non aliis principiis, neque rationibus, quam iis, quæ ab ipſomet Hippocrate deducuntur. Ut igitur facilior, breviorque Quæſtionis reſolutio ſit, eam ſimplicioribus, brevioribuſque terminis comprehendamus. Quæſtio eſt: num Hippocratica principia nobis ſubjiciant, ut inchoantem non acutiſſimam ægritudinem pleniore victu; num vero tenuiore, ipſaque abſtinentia tractemus.

V. Hippocraticum principium eſt (*a*) *incipientibus morbis, ſi quid tibi videtur movendum, move*. Ridiculum ſane, quod a quibuſdam e recentioribus ad hunc locum reponi video: ſcilicet, præcipere Hippocratem, motum augendum in principio, ſi forte lenior videatur. De quo enim motu loqueretur? Num de progreſſivo ſangui-

(*a*) 29. aphor. 2.

guinis. ? At iſte eì notus nequaquam erat, ut ut quidam, ex illius quibuſdam verbis ab aliis ſejunctis, contra ſentiant. Num de fermentativo ? At Chemico ſermone nondum ſuo tempore loqui cœperat. Forte de putrefactivo ? At ex Martiani (*a*) animadverſione, nunquam docuit humores in febribus putreſcere, quod fuit poſteriorum Commentum; ſed fervere, incaleſcere, & exuri. An de motu, unde unde veniat, quo morbus movetur, & ſymptomata increſcunt ? At hoc profecto fuiſſet morbum fovere, immo augere, ac de acuto, acutiorem, & acutiſſimum facere. Præterea, hoc principio damnatam illorum Praxim probaremus, ac firmaremus, qua inchoantes morbos valentioribus alexipharmacis, ac ſudoriferis volatilioribus, atque turbantibus urgent. Ibi cum primis de quolibet remedio loquitur, quod in morbi auxilium expediri poſſit, quæ fuit Clariſſ. Valleſii ſententia: tum ſpeciatim de evacuantibus, quod, & a Valleſio, & a reliquis interpretibus jure tenetur. Jure, inquam (*b*) cum alibi de purgatione acutis morbis adminiſtranda ajat, quod, ſi purgandum in iis ſit, diligenti ſemper habita conſideratione, id ſub initiis ſolum moliendum ſit. Igitur, ſi evacuandum, ex Hippocrate, inchoantibus ſolummodo acutis ægritudinibus, evacuandum eſt. At perpetuitas, quæ medicum rationalem deceat, in hoc ſermone nequaquam eſt, deple purgando, eodemque tempore imple alendo: E contra autem in hiſce debitus erit conſenſus: purgando depleas, neque alendo impleas. Ergo ſi inchoantibus acutis morbis vult evacuationem, velle

ple-

(*a*) ſup. ſect. *6*. l. *6*. Epid. (*b*) 24. aphor. 1.

pleniorem victum nequaquam debet. Tenuior victus, & abstinentia cum proposita evacuatione conspirat; quia licet abstinentia per se non evacuet; attamen dum ea adhibetur, naturaliter, quod corpori inest digeritur, & evacuatur. Abstinentiam ergo, generatim loquendo, inchoantibus morbis convenire ex posito principio sequitur; eoque sub morbi initiis, nisi morbus ab evacuatione fuerit, ægro victum pleniorem alienissimum esse.

VI. Sed eadem de re pergamus adhuc ex Hippocraticis principiis philosophari. Cum corpora acute ægrotantia, quorum morbos inanitio non fecerit, auferenda materia scateant, morbosa scatent: ergo impura sunt. At ex Hippocrate (*a*) *impura corpora quanto magis nutries, tanto magis lædes*; corrumpitur etenim, quod non integro corpori infertur. Neque huc cum quibusdam putandum est, de ea impuritate eum loqui solummodo, qui medicis Cacochylia est: scilicet de sola primarum viarum spurcitie. Si enim hoc verum foret, sequeretur, febrientem, cui repetita Catharsi ventriculus, atque intestina mundata sint, propterea que non amplius Cacochylia laboret, sine noxa, & quidem sanorum in morem nutriri posse. Loquitur ibi igitur de Cacochymia quoque, de impuritate scilicet intra venas, ob quam, quo magis impura sunt corpora, eo minus nutrienda sunt. At exordientibus morbis utraque impuritate magis impura sunt: neque enim tunc, aut per artem, aut per vim morbi neutri impuritati quicquam adhuc detractum est: ergo in principiis acutorum corpora minus nutrien-

(*a*) 10. aphor. 2.

trienda ſunt, ſeu parciore, tenuioreque victu ſunt alenda.

VII. Alterum principium Hippocraticum eſt (*a*) *Cibus ſicuti ſano robur, ita febricitanti morbus*. Ob id, non uno in loco Hippocrates præcipit, ne febricitans alatur, niſi ubi febris remiſerit. Quoniam igitur cibus, abſolute loquendo, febricitanti datus morbum auget; ſequitur, eo plus morbum adaucturum, quo copioſior, pleniorve fuerit. Si igitur ſub morbi initiis plenius alatur febricitans, morbus incipiens augebitur. At, vel ipſa Ambubajarum Collegia dicent, tunc nequaquam ſtudendum morbo augendo, ſed minuendo: cum non raro eveniat, ut morbi principiis obſiſtens medicus, eum facilius domet, quam ſi illi occurrere tentet, poſtquam vires eundo acquiſivit, juxta omnium ore tritum illud Sulmonenſis Poetæ

Principiis obſta &c.

VIII. Ex hiſce fluit, nihili omnino habendam eſſe rationem, quam pro pleniore cibo, morbo incipiente, dando afferet Vir Hippocraticus. Scilicet, tunc copioſius ægrum alendum, ut, copioſioribus viribus naturæ ſubminiſtratis, illa facultate ſatis inſtructa poſſit, dum circa morbi vigorem victus tenuandus eſt, contra morbum inſurgere, pugnare, & criſi promota, eum vincere. Nempe, natura hæc formica eſt, haud ignara, neque incauta futuri, quæ, quibus opus non habet, reponit, opportuniori tempori, & neceſſitati reſervans. Sed, miſſo joco, quis, amabo, putaverit, & vires ſalubres, & morbum mediis iiſdem, cibo nempe & quidem pleniore, augeri? Ita autem res caſu-

(*a*) 67. aphor. 7.

casura est, si cibus plenior, inchoante morbo datus vires sufficiat, quemadmodum dicitur; & cibus idem febricitanti datus, ex Hippocratico aphorismo morbum augeat. Sic vir Hippocraticus suo gladio jugulari posse mihi videtur.

IX. Ne putetis tamen, me primum fuisse, qui in hanc Hippocratis methodum animadvertere ausus sim. Et ante, & post Hippocratem alii fuere medici, qui eam non probarunt. Ex ipsomet Hippocrate (*a*) habemus, plures medicos aliter, atque aliter victum instituere acute ægrotantibus consuevisse. Ex Celso (*b*) plerique ex antiquis Asiaticis, Ægyptiisque medicis, sæpe quinto, sæpe sexto solummodo die cibum ægris exhibebant, quod cœli rationem fortasse in Asia, & Ægypto pati potuisse Celsus credidit. At de hisce nescimus, num solam diætam, num vero remedia quoque ad febres adhiberent: fuisse autem ex eodem Celso (*c*) constat, qui utrumque, & quidem in morbis non acutis, præstarent. Heraclides enim Tarentinus quartana laborantes, in septimum usque diem abstinentia macerabat, quamvis primis diebus alvum non modo solvisset, sed (utor eadem Celsi voce) duxisset. Ita & methodici, & venæ sectionem, & cucurbitulas siccas, scarificatasque, & clysmata, & frictiones, & unctiones, & cataplasmata acute ægrotantibus adhibebant, & eos, per primos ægritudinis dies, in abstinentia continere plerumque sueverant. Galeni tempore sub Thessalo duce, Romæ, Diatritarii isti vocabantur, quia, si Galeno fides habenda est, trium dierum spatio ægros omnes indiscriminatim jejunio mace-

(*a*) tex. 4. acutor. (*b*) l. 3. c. 4. (*c*) l. 3. c. 15.

macerabant. At hujusce rei idoneus testis C. Aurelianus, quia methodicus fuit, per duos solummodo dies, ait, eos a cibo dando abstinuisse; & nomine diatriti, non solum trium dierum spatium intelligendum docet, sed ipsum tertium diem. Sed quidquid hac de re sit, certissimum est, contraria omnino ratione ab Hippocrate ægros suos acuto implicitos morbo aluisse, cum iste tunc pleniorem cibum, ii vero jejunium generatim præscriberent. Nihilominus, medicos hosce magna in æstimatione Romæ fuisse e Scriptoribus constat, & facillime colligi potest ex odio, & injuriis Galeni, qui quacumque oblata, immo arrepta occasione, contra eos invehitur, & debacchatur.

X. De Asclepiade autem, quid dicendum est? Si etiam huic viro Gravissimi Scriptoris, Celsi, testimonia deforent; quod sub persona Crassi testimonium de eo tulit magnus tum dicendi, tum intelligendi magister Cicero (*a*) satis foret, ut eum, non solum pro viro docto, sed pro nobilissimo medico haberemus. Ait ibi Crassus, se Asclepiade & Medico, & amico usum fuisse. Celso referente, iste medicamenta magna ex parte sustulit, & omnem prope medicinam ad victus rationem transtulit. Ex Scribonio autem Largo in Epistola ad Callistum, quamvis in Chronicis remedia adhiberet; in acutis tamen ab iis fere abstinebat. Nihilominus in more habuit, contra ac Hippocrates faciendum docet, & primis morbi diebus ægros abstinentia premere, ex Celsi testimonio (*b*) & iis vires pluribus modis convellere. Et tamen Auctor iste, Ga-

X leno

(*a*) de Orator. 1.
(*b*) l. 3. c. 4.

leno (*a*) referente, Hippocratis Scripta legerat, & ſuper iis quoque commentatus fuerat.

XI. Niſi me omnia fallunt, ideo in tam diverſas medendi vias Nobiliſſimi priſcorum medicorum proceſſere, quia Hippocrates putabat nobis ineſſe Facultatem quamdam, quam Naturam vocabat, cujus eſſet, ut omnibus noſtris actionibus præſidere, ita & morbos regere, atque curare. Erat hæc Ens quodam doctum ſine magiſtro, quod tamen ad opera ſua peragenda viribus aliunde ſuffectis, quaſi totidem inſtrumentis, egeret. Vires igitur illi ſufficiendæ erant, & ſufficiendæ alimento; ſed non eo tempore, quo plurimum laboris ei impenderet. Plurimum autem laborare putabatur in morbi vigore, quia Criſim, magnum hujuſce Potentiæ opus, eo tempore ſolummodo moveri obſervatum fuerat. Oportebat igitur, tunc illi jam donatas, reſervataſque vires fuiſſe: quoniam ſi tunc cum operi, plurimum, Præſes Natura intenta erat, cibus virium materia illi largiretur, facile futurum fuiſſet, ut ab opere revocaretur. E contra vero, initium morbi, quo ex Hippocrate (*b*) omnia leniora, tempus opportuniſſimum erat eam viribus, plenioris alimenti ope, inſtruendi. Et tamen, ut mihi quidem videtur, facilius huic intelligenti Naturæ eſſe debuiſſet morbum contra inchoantem inſurgere, eumque puſillum adhuc ſuffocare; quam data opera ſinere, ut vires adoleſcendo adipiſceretur, quaſi vellet illum labore maximo, & ancipiti exitu, ſed majore cum gloria vincere, & profligare. E contra vero Aſclepiades minus metaphyſicus, ſed magis *mate-*

(*a*) Com. 1. in Hippoc. Officinam. (*b*) 30. aphor. 2.

materialista (ex iis , quæ ex Galeno , & Aureliano collegit eruditiss. Daniel Clericus (*a*) Asclepiadis sententia parum a Democritæa , & Epicuræa distabat) intelligentem Hippocratis Naturam irridebat: omnia per Physicam vim, & ex necessitate Physica fieri putabat; atque a materia, motu, & molecularum figura contingere cuncta rebatur. Ex hisce necesse est inferre, & morbos, & morborum solutiones a vi mechanica solummodo deduxisse, atque existimasse, ut revera existimabat, tempore quidem morbos, ut solvi possent, egere; illorum autem solutioni, & Crisi nequaquam datum tempus finitum fuisse; sed ut citius, serius, facilius, difficilius solverentur, & morbi indolem, & ægrotantis dispositionem, & solertiam præcipue, peritiamque medici præstare. Hinc fluit, eum nequaquam huic Naturæ circa morbi vigorem plurimum laboranti, vires in antecessum, plenius ægros sub initiis alendo, præparare debuisse; sed potius curavisse, ne motus morbi, qui ægritudine crescente abnormes fieri solent, tales evaderent: quapropter cum id obtineatur, ægros, qui a proxime amissa valetudine viribus satis pollent, abstinentia macerando; hac, qui ægrotare inciperent, exercebat.

XII. Quæ sane ei, qui Hippocratis Hypothesim de natura medente, & intelligente minime amplexetur, verisimilia admodum sunt. Quin vero proximiora facile illi putabuntur, qui Humani Corporis mechanismum, quantum quidem hodie possit, intellexerit. Motus illi, quos nomine virium vitæ pulchre Boerhaavius complexus est, sunt Natura, quæ morbos cu-

X 2 rat:

a) H. M. P. 2 liv. 3. chap. 5.

rat : curat autem materiam, quæ illos exleges, inordinatosque reddiderat, expellendo. Expulsio hæc arte, & consilio a medico est adjuvanda. Nequaquam autem adjuvabitur, nisi medicus eos excitet ubi langueant, vel leniat, quod præsentis argumenti est, ubi excesserint. Ut leniantur, materia irritans potentias hosce motus edentes subducenda est, & nimius potentiarum vigor infringendus. Utrumque, præter alia auxilia, alimenti tenuitas, & abstinentia ipsa præstat. Cum autem, si quæ ratio nobis apparet, quidpiam vere dictet, facilius sit id obtinere dum motus illi nondum plurimum abnormes facti sunt, scilicet, sub morbi initiis, quam ubi excesserint, morbusque viguerit; media, quæ id præstant, quæ inter est abstinentia, cibique tenuitas, id facilius præstabunt morbo inchoante, quam progresso, aut vigente. Ob hæc, ut fatendum est rectissime præcepisse Hippocratem ubi docuit, in principiis præcipue movendum esse, quo aphorismo quælibet evacuantia præsidia comprehenduntur; ita (sit verbo venia) minus bene tradidisse dicendum, ubi sub initiis acute ægrotantes plenius alendos docuit. Si vos forte quæratis, unde hæc diversitas in Hippocraticis monitis, accipite. Primum præceptum est ab observatione, & ab observatione *immediate* deductum: alterum a solo ratiocinio, eoque ex Hypothesi Naturæ intelligentis, assidentis, atque curantis deducto. Si id vobis ostendere vellem, nimium sane ab instituto digrederer. Quod vobis tantum innui, si vos curiosius perpendere, & super eo aliquantulum meditari velitis, neque laboris vos pœnitebit, neque falsum esse, quod vobis

bis dixi, invenietis. Vobis itaque ad acute ægrotantium lectulos accedentibus, cum Praxim vestro Marte exercere cœperitis, bina aurea Celsi monita (*a*) animo semper obversentur: Primum est: *initia morborum famem, sitimque desiderant, ipsi deinde morbi moderationem, ut neque aliud, quam expedit, neque ejus ipsius nimium sumatur*. Alterum vero est: *neque ulla res magis adjuvat laborantem, quam tempestiva abstinentia*. Eam autem inchoantibus, præcipue, acutis morbis tempestivam esse, aut demonstravi, aut certe demonstrare annisus sum.

VIII.

UT ex instituta Dissertatione uberiorem utilitatis fructum capere possitis, Lectissimi Adolescentes, quæ generatim disputavimus, prius acutis continuis febribus, tum Chronicis, atque intermittentibus aptare operæ pretium duco. Vobis repetito dixi, etiam Medico Hippocraticum in morem solummodo cunctanti, rem semper difficillimam fore futurum vigoris in morbo acuto tempus prænoscere. Præcognitioni obscurissimæ lumen dedisse videtur Hippocrates 12. aphorism. 1. ubi ait, morbos ipsos, anni tempora, circuituum successiva incrementa, tum quæ postea apparent, ægritudinum vigores, quos ibi constitutiones vocat, significare. At ipsa principiorum multiplicitas, quorum singula, si a postremo præscindatis, suas difficultates recipiunt, satis indicant, hanc Prænotionem factu difficillimam esse. Immortalis noster Sanctorius (*b*) ex eodem hoc loco, Quæstionem hanc

(*a*) l. 2. c. 16. (*b*) ad 4. aphor. 1. Quæst. 18.

hanc agitavit: quomodo, ſcilicet, in principio morborum acutorum poſſit prævideri, qua die ſit morbus terminaturus. Ait ibi, ſe nequaquam Auctores offendiſſe, qui de re tanti momenti ſcripſerint, qua non intellecta (notate Sanctorii judicium) omnino ſuperflua redditur Hippocratis Doctrina de victu acutorum. Eam tamen colligi poſſe ait ex Hiſtoriis ægrotantium in libris Epidem. ab Hippocrate deſcriptis. Nobili ideo, & laudando auſu rem aggreſſus, eam ſe quoque peregiſſe putavit. Negandum non eſt, non pauca utilia ab eo ibi proferri: num vero acu rem, ut dicitur, tetigerit, medentum judicio relinquam. Quod firmiter mihi videor aſſerere poſſe, eſt, eum in ſolutione Problematis, nequaquam animum advertiſſe ad methodum, qua ſuo tempore in cura acutorum utebantur, ab ea diverſam, qua utebatur Hipporates. Sed abſque eo quod ſingillatim Sanctoriana examinem, ſatis fuerit attuliſſe, quæ ſuper enuntiata difficultate Galenus protulit. Quamvis *primo libro de Criſibus* cap. 2. ajat, generoſi medici eſſe, & Hippocratica arte digni, futurum morbi ſtatum prævidere; nihilominus, & ex iis, quæ capite eodem ſupra dixerat, & ex aliis, quæ cap. 9. ejuſdem libri ſubdit, apertiſſime conſtat, eum pro re difficillima habuiſſe, non jam antequam eæ adveniant, præcognoſcere; ſed noſcere, dum actu contingunt, temporum mutationes acutorum morborum. Ita primo loco: *ſummi autem vigoris ſignum eſt permanentia in ipſis* (acceſſionibus, ſcilicet. Quid vero ſi febris acceſſiones non habeat, ut continuæ continentes, & homotonæ? Quid ſi habeat obſcuras, & irregulares? Quid, ſi repeti-

petitis quotidie nequaquam Periodicis exacerbationibus, novos acceſſus ſimulet, atque mentiatur?) *& conſiſtentia. Tametſi frequenter in morbis nullum tale tempus ſenſibile reperiatur. Sed quartæ, ſi ita contigerit acceſſio, incrementi adhuc in ſe ſigna habens, quintam afferat inclinantem, ſummo videlicet morbi vigore velocis tranſitus, uſque adeo facto, ut nec præſentem ipſum quis dignoſcere valeat, ſed ad exquiſitam ipſius dignotionem primo inclinationis tempore indigeat. Simile autem quid, & in ipſis morborum incrementis exiſtat.* Capite autem nono: *ſicut igitur non habetur exquiſita principii cognitio, antequam incipiat aſcenſus; ita neque aſcenſus, antequam ſtatus invadat.* Si veritatis vis hæc ab homine, cæteroquin Glorioſo, & Thraſonico, extorſit: ſcilicet: ſi confitetur difficillime noſci poſſe morborum vices, dum actu fiunt; quanto difficilius erit eaſdem prænoſcere, antequam fiant? Nihilominus non pauci Scriptores mutationes haſce ſe ſe invicem excipientes adeo affabre nobis pingunt, ut eas ex ipſo Archetypo exſcripſiſſe videantur. Ita (expertus autem loquor) juniorum mentes mire turbant, atque confundunt; quia cum Praxi reſpondere nequaquam videant, quæ adeo clara, atque ordinata ab illis deſcribuntur; animos abjiciunt, putantque, haud quidem pluribus paraſangis morborum inordinatos, obſcuroſque motus, ab ordine, & claritudine, quibus eos ſcriptores ornarunt, diſtare; ſed ſe ad bene attenteque obſervandum ineptiſſimos eſſe. Cum hujuſmodi Scriptores vobis legere contigerit; aut eos Praxi operam parum, & oſcitanter dediſſe colligite; vel non quæ viderint, ſed, quæ commenti fuerint, adornaſſe, & ſtilo proſequutos fuiſſe.

II.

II. Hisce positis, ne tempus futuri vigoris, & genus acuti morbi conjectantes forte fallamini, securissimum esse puto, ubi ad vehementem curandam febrem, ægritudine exordiente, accersiti fueritis, ut consideretis, tunc ægrotanti vires rarius exhaustas esse posse, cum adhuc ciborum nuperrimæ salutis tempore sumptorum portio, illius ventriculo, atque intestinis insit; quapropter absque ullo periculo, victu tenuissimo, vel etiam exquisite tenuissimo, jejunio nempe, premi potest. Hinc igitur victus regimen exordiendum. Deinde, ubi morbi progressus de se minus obscuram significationem fecerit, cibi materiam eligite, atque ad virium statum attendentes, quæ ut profligari non debent, ita certo certius in quocumque acuti morbi genere convellendę sunt; modo demite, modo, si vobis videbitur, addite, si etiam morbus in summo vigore fuerit. Si enim alienissimo accessionis tempore, vera, & positiva urgente imbecillitate, jure cibus dari potest; eccur idem præstari non poterit in morbi vigore? Nolim igitur, ut a futurorum præcognitione, quæ vos facile decipere potest, indicationem sumatis, sed a cognitione præsentium: atque ita in arena consilium capiatis; ut, quæ futura sunt, haud quidem negligentes; quæ in præsens urgent, maxime consideretis. Celsi, viri gravissimi, monitum est (*a*) *Unum illud, & semper, & ubique servandum est, ut ægri vires subinde assidens medicus inspiciat, & quamdiu supererint, abstinentia pugnet: si imbecillitatem vereri cœperit, cibo subveniat. Id enim ejus officium est, ut ægrum neque supervacua materia oneret, neque imbecilliorem fame perdat*. Verum audite quoque,

quæ

quæ hiſce ſubdat, ex iiſque vos per voſmetipſos Corollaria, quæ duci poſſunt, deducite. *Ex his autem intelligi poteſt, ab uno medico non poſſe multos curari; eumque, ſi artifex eſt, idoneum eſſe, qui non multum ab ægro recedit.*

III. Quod ſi morbus ille fuerit, de cujus cito exitu, aut ab hiſtoria medica, aut ex conſimilibus viſis caſibus, ut in conſtitutionibus Epidemicis, commonefacti jam ſitis; contra eum fidentius abſtinentia pugnate. Tales ſunt: Apoplexia fortis: Angina, aut ſine tumore ſuffocans, aut tumore fauces elidens: Iliaca paſſio: Cardialgia: Colica gravior, qui, aut morte cito finiri debent, aut ſanari, aut miteſcere. In hiſce, nequaquam de ægro nutriendo ſoliciti ſitis, niſi morbus ſaltem remiſerit. Riſum quondam tenere vix poteram, videns medicum prope deſperabundum, quia Apoplecticum jam ſtertentem, quique poſtridie obiit, nutrire non poſſet. Sæviere, non multis ab hinc annis, Pectoris inflammationes, quæ circa primum quaternarium ægros occidebant. Vidimus nihilominus Medicos eandem victus rationem iis adminiſtrare, quæ productioribus Pleuritidibus adhiberi ſolet. Forte quidam ex iis ægris ſervati fuiſſent, ſi citiſſimo morbi exitu animadverſo, intra potiones tantum detenti fuiſſent.

IV. Sed de Chronicis quoque, atque intermittentibus febribus, poſitis ſemper inhærendo principiis, aliqua dicenda ſunt. Ut reliquis, qui veteraverunt, morbis, ita Chronicis quoque febribus, victum relate ad ægrotantes plenum convenire, ipſi rigidiſſimi veteres tradidere. Nulla igitur hic difficultas. Revera

ra ante corticis usum, intermittentes, jure omni, longis morbis accensendæ erant. At postquam Divinus, prope dixerim, cortex, singulari Numinis favore Europæ innotuit; & brevibus, & longis morbis addi eas posse puto. Illarum recidivi recursus aliquando longioribus spatiis ægros exercent: ideo febres longæ dici merentur. Sed quilibet recursus iterum sumpto cortice brevi fere compescitur: hinc non sine ratione breves dici possunt. Ita auxilium hoc, quod non paucos Medicinæ Canones pessumdedit, ut uno eodemque tempore variam intermittentes sortirentur naturam, effecit. Hisce itaque febribus per triginta & amplius annos, variisque in locis, aliquo ad ætatum diversitatem respectu habito, minimo autem ad anni tempus, ad regiones, ad consuetudinem, ita non infeliciter victum administrare ipse suevi. Cum cibus ex Hippocrate, morbus febricitanti sit, febris die, prout febris vis, & vehementia esset, aut in tenui, aut in tenuissimo victu ægros continui. Die integro, donec febris devicta esset, vel ad plenum inclinavi, vel tenuem exhibui. Febri autem non multis diebus, ut per corticem fieri solet, fugata, ægrum victui convalescentium sensim admisi; ex Hippocrate etenim, *quæ longo tempore extenuata sunt corpora, longo reficere oportet, quæ vero brevi, breviter* (*a*). Si vero febris quartana foret, biduique intervallum daret, die, qua æger pessimus erat, eodem modo victum, ac in tertianis instituere suevi; diebus autem integris, pleno victu ægros alui. Meam methodum vobis in exemplum propono, non ut eam ad amussim servare debea-

(*a*) 7. aphor. 2.

debeatis; ſed ut colligatis modum, quo victu demere, & vires impellentes infringere, & facultatem, ne labaſcat ſuſtinere, in intermittentibus ſoleam. Cum febres iſtæ, niſi pernicioſarum indolem ſuſceperint, in iis, qui ſenio confecti non ſunt, fere ſine periculo eſſe ſoleant; medici indulgentia levi tantum damno, & facile reparando eſſe poteſt.

V. Vos autem reponetis, rem ita bene habere iis in intermittentibus, quæ alternis, aut quarto quoque die invadentes, inter Paroxiſmos, aut unum, aut binos dies integros relinquunt; at quæ ſingulo die redeunt, ut quotidianæ intermittentes: aut ferme ad apyrexiam remittentes, vel, ſi mavultis, duplices tertianæ intermittentes, vel remittentes: cum in hiſce nulla dies integra pleno victui, ex mea ſententia locum relinquat, quam victus rationem deſiderant? Vel de iis abſque febrifugo curandis agitur, atque ad Calendas, pene dixerim, Græcas, illarum ſanatio expectanda: vel, nunquam ſatis laudato Peruviano cortice, illis occurritur. Si prima tædii plena methodo & veſtram, & ægri patientiam, non ſine malorum conſequentium periculo, exercere velitis, dubium nequaquam eſt, quin febre paululum deferveſcente æger victu premi non debeat, ſed eo, qui relate ad ægrotantes plenus eſt, ali. Ita enim virium cuſtodia, non modo poſcit, ſed flagitat, licet inde morbus pertinacior evaſurus ſit. At ſi cortex in auxilium expeditur; cum ab eo febris cito profliganda, vel ſaltem domanda ſit, eoque æger cito convaleſcentium diętæ reddendus; ecquis, cui mea principia probentur, non videat, tutiſſimum eſſe tenuem, &

tenuiſſimam quoque, ſi vehementior febris fuerit, victus rationem adhibere? Quod ſi in febrium recidivis, quemadmodum ſupra poſui, ita agendum eſt; multo magis prima vice, qua homines adoriuntur, & cortice iis medicina fit, idem præſtandum. Animadvertite, me diverſas victus rationes ad rigidiorem veterum normam neqtiaquam exigere, ſed eas, ut loco propoſui, minus rigide dimetiri.

VI. Reliquum mihi modo eſt ad diſſertationem hanc abſolvendam, ut promiſſis ſtem: ut ei, nempe, difficultati occurram, quæ erat: ſi quæ diſputaſti omnia parciorem victum in acutis expoſcunt, eodemque tempore, & jura conſumata, & carnium ſuccos, & contuſas carnes, & reſtaurantia rejiciunt, reprobantque; eccur ab horum non infrequenti uſu, mali effectus frequentius non viſuntur, & adnotantur? Favete auribus, quæſo, Studioſi Juvenes. Superiore ſeculo ea Praxis obtinebat, ut Periodicis febribus exerciti ſiti pene conficerentur. Altera item Praxis communis erat, ut, niſi purgato corpore, vel tantillum Opii ægris daretur. Quot, quæſo, non putatis malos effectus, & graviſſima, difficulterque toleranda ſymptomata, quæ morbos graviores redderent, ab iis medendi rationibus miſeris ægrotantibus non contigiſſe? Ex hodiernis Medentibus vix fore reor, qui id ſit inficias iturus. Sed quid medentes dico? Quilibet non rudi ingenio, qui commoda ex Praxi hodierna aut expertus fuerit, aut obſervarit, animo concipere poterit, quam ab ariditate, & ſiti pati debuerint miſelli febrientes; quantumque dolorum, vigiliarum, ſpaſticorumque motuum ab ægrotantibus ferendum eſ-

ſet,

ſet, dum contra ac Hippocrates facere ſuerat; quamvis minus ſecuris paregoricis uteretur; ac contra hodiernum uſum, levamentum illis non adhibebatur, niſi & corpus prius purgaretur, & ſanguis emmitteretur, & alia inutilia remedia inutiliter exhiberentur. Num ideo remini, vel ab adſidentibus, vel a medentibus, mala quæ obſervabant ſymptomata, iis noxiis medendi methodis attributa fuiſſe? Tantum abfuit, ut eæ medendi viæ reprobatę fuerint, ab iiſque ęgrotantium graviora ſupervenientia incommoda deducta ſint, ut iis mordicus tenendis totis viribus certatum ſit; nec, niſi per ſummas contentiones, ac continua felicium experimentorum ſerie a poſterioribus tandem evictum, & febrientibus; vel ipſius frigidę, poſtquam ęger incaluit, generoſiores hauſtus utiliſſimos commodiſſimoſque fore; & non minus purgato, quam impurgato corpore, opium, quaſi prępſens Divinum auxilium, dolentibus, vigilantibus, convulſis opem tutiſſimam ferre. Cur autem veritas hęc adeo luculenta in oculos medicorum, & adſidentium non incurrebat? Quia cum utrique animum induxiſſent, ita agendum eſſe, eaſque methodos unice probandas fore; mala inde exorta, quæ conſequebantur, vi, & naturæ morbi tribuebant.

VII. Sæculo eodem Chemicorum, & præcipue Helmontianorum ſchola plurimum floruit. Cum enim iſti validioribus remediis præ Galeniſtis uterentur: opium frequentius adhiberent; ac pharmaca minus ingrata, & nauſeoſa offerrent; atque omnia ſimilitudinibus a furnis, Chemiciſque operationibus petitis, quæ præ Galeniſtarum Theoriis captu faciliores erant,

rant, ornarent; non exiguam hominum manum in ſui favorem pellexere, immo traxere. Quæ mala, quæſo, non obveniſſe, acute febrientibus putandum non eſt, & a venæ ſectione quam execrabantur, ommiſſa; & ab exagitantibus validioribus, ſudoriferiſque, quibus initia quoque acutorum morborum urgebant? Remini forte illa, vel ab ægrotantibus, vel ab adſidentibus, vel a medicis iiſdem, temerariæ illi medendi methodo tributa fuiſſe? Minime gentium. Eam præ Galeniſtarum methodo valentiorem, ſalubrioremque putabant; eoque pravorum inde exorientium effectuum, non infida remedia, neque alieniores medendi vias, ſed morbi perverſam, maleque moratam indolem cauſabantur.

VIII. Sed quid vetera memoro? Nonne reperiuntur adhuc Medici, qui totius excultæ Europæ Scholis, & experientia reclamante, Peruvianum Corticem exhibere febrientibus renuunt, niſi prius alvus deterſa, & ſanguis emiſſus fuerit? Cum deinde febris, & vires aſſumpſit, & capiti minitatur, & pernicioſum characterem indepta eſt; ſi forte a prima corticis uncia domita non fuerit, obtendentes febrifugum minime reſpondere, ab eo uberius exhibendo abſtinent; quapropter æger, vel ad plures cito migrat, vel non evadit, niſi longiore tempore, maximiſque exantlatis periculis. Putatis forte eos animadvertere, unde mala iſta veniant? Adeo id non animadvertunt, ut errorem eumdem iterato, & ſæpius, & tempore eodem errare non deſinant. Ea eſt præjudiciorum, quibus imbuti vivere volunt, vis, ut non auctoritas Scriptorum, quos tamen non legunt, non ratio,

ratio, non aliorum obſervata, atque experientia illis oculos tandem aperire valeant. Ita quoque uſuvenit circa uſum ciborum, quos reprobo. Nunquam, vel minima ſuſpicio medentes, qui eos amant, inceſſit, eos acute ægrotantibus noxie adhiberi: adſidentes, maximeque mulieres, quæ imbecillitatem præ morbo timent, non modo non ſuſpicantur ea noxia eſſe poſſe, ſed utiliſſima, & apprime neceſſaria cenſent. Licetque ſub illorum uſu, modo capitis dolores & deliria ingraveſcant; modo calor, anxietaſque intendantur; modo obſtipetur venter, aut nimium fluat; modo æger nauſeet, ac ne jurium quidem odorem ſentire poſſit; ſemper autem morbi protrahantur, longiuſque excurrant; non in malam victus rationem, ſed in difficilioris morbi indolem omnia refundunt. Ægri interim non ab exhauſtu, ſed ob vim, & morbi acumen imbecilli languent: illę autem deſperabundæ (quæ ſcilicet inferioris ſortis ſunt) Deos homineſque teſtantur, ſe culinæ ſumptibus nequaquam parcere: convenientibus mulierculis ollulas, quibus reſtricta jura ebulliere oſtendunt: quot pullos ad oſſium teneritudinem decoxerint, numerant: quantam reſtaurantis vim a monialibus confecti æger conſumpſerit, ſignificant: & nihilominus ægrum imbecillimum languere quærulæ clamant. Ut, quæſo, capita alte adeo præjudiciis imbuta noſcere queant, num adverſa, quæ ægris obveniunt, a perverſo victus regimine pendeant? Quamvis itaque ea & a medicis, & ab aliis viſantur ſæpe nimium, non obſervantur tamen: neque etenim omnia, quæ oculis uſurpantur, obſervatione quoque comprehenduntur. Quicumque qui o-

culos

culos habet, iisque utitur, videt, si vult, Solis, Lunæque Eclipses, & exorientia, atque occidentia astra; at exiguus tantummodo Astronomorum numerus eadem observat.

IX. Inutilitatem, incommoda, pravitatem alicujus methodi, prę quibuscumque aliis examinibus, in aperta luce ponit illius cum altera comparatio. Utriusque vos, dum medicinam facietis, caute, prudenterque experimenta capite: tunc vobis liberum relinquo, qua via in victus ratione febrientibus administranda procedendum sit, eligere. Ipse nullus dubito, quin ea progressuri sitis, quam Hippocratis, & reliquorum Gręcę Medicinę Procerum exempla nobis aperuerunt: quam boni Itali, quam pręclari Angli, quam e Gallia pręstantissimi institerunt: quam denique, non Hypotheses, ingeniique commenta, sed natura ipsa, ac ratio ab observatis immediate deducta, veram, securioremque esse demonstrarunt. Neque vos exempla, ac numerus eorum, qui aliter sentiunt, aguntque, facile decipiat; etenim firmiter tenendum est, ut in reliquis, quę opinione solummodo continentur, ita & in Medicina, argumentum pessimi turbam esse.

F I N I S.